Oppen, Johannes Matthaeus Augustus van
Observationes in Plutarchi vitam L.C. Sullae

J. M. A. VAN OPPEN.

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI VITAM L. C. SULLAE.

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI VITAM L. C. SULLAE.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE,

CONTINENS

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI VITAM L. C. SULLAE,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. E. J. MODDERMAN,

JUR. ROM. ATQUE HOD. DOCT. ET IN FACULTATE JURIDICA PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

Johannes Matthaeus Augustus Van OPPEN,

ex HEERLEN.

DIE XXI MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLXXIX, HORA III IN AUDITORIO MAIORE.

SILVAE DUCIS,

TYPIS VIDUAE D. A. A. DE ROOIJ.


LIBRARY
SEP 7 1966
UNIVERSITY OF TORONTO

P. M.

OPTIMOR. CARISSIMOR. PARENT.

S.

PROOEMIUM.

In Vitis Parallelis concinnandis Plutarchus non animum induxit temporum condicionem quibus quisque clarissimorum virorum nomen consecutus est, ita ante oculos proponere, ut quaecumque domi militiaeque memoratu digna acciderint, ad eum quasi ad causam et fontem concurrant: qui eo consilio auctorem nostrum adierit, ut populorum leges et instituta, rempublicam crescentem aut senescentem cognoscat et conspiciat, spe frustratus abibit. Multo magis *βίους* describere sibi proposuit i. e. mores, indolem, bona dicta, victum atque vitam: res vero praeclare gestas ita memorat, ut neque omnia inter se apta et colligata videantur, neque rerum ordo et ratio rite exponatur. Quam ob causam, copia data, non potius principes illos auctores consuluit, Xenophontem, Polybium, Livium, qui populorum civitatumque historiam composuerunt quam qui virorum singulorum singulas vitas litteris mandaverunt.

Ita in Sullae vita enaranda huius commentariis 1) frequentissime est usus: modo enim nominat, modo ipsa narratio

---

1) Scripsit Sulla Commentarios Rerum suarum, quorum ultimo libro (XXII) immortuus est. cf. Plut. Sull. c. 37. Errat profecto Heeren qui censet eos graece fuisse compositos. Gell. I. 12. 16. XX. 6. 3. Priscianus IX p. 864 Putsch. Eos Lucullo dedicavit a quo

adeo dictatoris invidiam odiumque in Marium, gloriae cupiditatem, iactantiam atque arrogantiam redolet, ut ipsum pro fonte et auctore habendum esse in promptu sit. „Plu„tarch citirt den Sulla an vielen Stellen 1): indess dies be„weist nicht so schlagend seine durchgehende Benutzung als „die Verdrehung einzelner Thatsachen." 2)

Nec mirum: hic enim copia uberrima aderat, aderat etiam materies consilio conducens, cum narratio eum colorem prae se ferret, quo ipse res gestas scribere solebat. Ubi autem semel talem scriptorem adiit, eius auctoritatem nimis serviliter secutus est. Non omnia quidem inde hausit, cum multa eiusmodi sint, ut a Sulla profecta esse non possint atque Livius c. 6., Juba c. 16, Fenestella c. 22, Strabo c. 26, Sallustius Comp. Lys. c. 3 nominatim memorentur. 3) Sed iis usus est, non ut, comparatione instituta, quod verum esse videretur exploraret-nimis enim raro suum iudicium interponit-sed ut narrationi res minoris momenti intersereret, quae summae totiusque scripti colori nullam afferunt commutationem.

Quam ob rem non plane a vero mihi abhorrere videtur quod Heeren 4) censet: Sullae commentarios a Plutarcho in epitomen esse redactos, sed addamus Plutarcheo modo

---

polirentur et digererentur cf. Plut. Luc. 1. Librum imperfectum eius libertus Epicadus supplevit. Suet. de ill. gramm. 12.

Initium vitae suae narrandae a quaestura fecisse videtur: quas res in Africa et postea legatus, praetor, consul gessit, paucis tamen Plutarchus absolvit. Inde a bello civili cum Mario usque ad proelium ad Portam Collinam multus est in narrando, singula consectans et colligens. Quae pars cum mihi praestantior esse videtur, cum commentarios hic finem cepisse suspicione assequor: in caeteris quidem parum diligens est. Proscriptionibus perquam breviter perstrictis et quae Sulla dictator constituit plane neglectis, in narratiunculis quibusdam, quae ad eius extremam aetatem pertinent acquiescit.

1) Cap. 4. 5. 6. 14. 16. 17. 19. 23. 27. 28. 27.

2) H. Peter. Die Quellen Plut. in den Biogr. der Römer p. 57.

3) De font. et auct. Vit. Parall. Plut. p. 151.

4) Etiam alios non nominatim indicat c. 17, c. 31.

i. e. narratiunculis, belle et facete dictis diligenter perscriptis atque iis electis, quibus Sulla maxime evehitur, ipsam historiam nimis neglegit, ut neque rerum progressus et ordo edoceatur, neque temporum condicio exponatur: imaginem ne adumbratam quidem habes, nedum expressam.

Nihil igitur attinet dicere, quanta cautio in auctore nostro legendo sit adhibenda. Spirare enim videtur in tota narratione Sulla ipse, vir magni ingenii et in re militari nemini aequalium certe secundus, sed gloriae nimis cupidus, fraudulentus, crudelis, libidinosus. Quanto odio Marium prae omnibus persecutus sit et quam vehementer quae „haesit capiti multa cum laude corona" huic eripere studuerit, incredibile est narratu 1): quo factum est, ut in commentaris suis saepenumero id ageret, ut illius laudibus obtrectaret, se ipsum vero efferret laudemque alienam sibi assignaret.

Neque ad hunc finem quidquam intentati reliquit, neque a mendacio et fraude abhorruit, ut pro omnium mortalium felicissimo et quasi Deorum deliciis haberetur; quippe qui in proeliis, ubi multa milia hostium caesa essent, de suis vix duodecim 2) vel viginti tres 3) periisse affirmare haud erubuerit 4). Quae Plutarchus vir pectore ingenuo, sed artis criticae expers, inprudens excepit. Inde haec vita plena est auspiciorum et somniorum, quibus τὸ δαιμόνιον sibi futura protendere Sulla ingenue professus est: haec autem praeter ipsum nemo tanta cura commemoraverit. Interdum quidem eius fidem in dubium vocat, c. 6, 8, atque rem incredibilem referens Sullam auctorem nominat, quasi se ipsum excusaturus (ὡς φησιν αὐτὸς (Σύλλας), sed in animum in-

---

1) cf. L. J. W. Smit in Specim. Acad.: Observat. in Plut. Vitam C. Marii.

2) Plut. c. 19.

3) Plut. c. 28.

4) Heeren l. l.

ducere non potest, ut tam commodum auctorem deponat. Neque is unus parum caute ad Sullae auctoritatem provocavit, etiam Livius commentariis optimatium, qui bellum sociale et civile haud sine ira et studio descripserunt, imprudenter usus videtur.

Nobis igitur in animo est in Plutarchi fontes et fidem inquirere et comparatione instituta cum reliquorum scriptorum testimoniis, historiae fidem, quantum fieri potest, indagare. Quae vero a Plutarcho in hac vita traduntur, non carptim perscripsi et exploravi, sed additis quae apud alios memoratu digna inveni, eius vestigia secutus, Sullae vitam explevi et refeci. Licebit Cornelii Sisennae verba pro meis usurpare: „Litteris gesta iccirco continentia man„davimus, ne vellicatim aut saltuatim scribendo lectorum „animos impediremus 1)."

Leges autem quibus dictator rempublicam ordinavit omisi, quoniam ea res nos longius a proposito deduceret.



1) Gell. N. A. XII. 15.

CAPUT I.

Lucius Sulla gentis fuit patriciae, omnium maximae et splendidissimae, quae Cornelia appellatur. Ex eius maioribus unus P. C. Rufinus summis honoribus usus est, qui anno 290 a. C. consul cum M' Curio Dentato Samnites, ingentibus cladibus illatis, ad pacem petendam compulit. 1) Iterum consul fuit anno 277 in bello contra Pyrrhum, anno post dictator dictus est clavi. ut opinantur, pangendi causa, ut pestilentia sedaretur. Quod Plutarchus nos docet, eum senatu esse motum: *εὑρέθη γὰρ ἀργυρίου κοίλου κεκτημένος ὑπὲρ δέκα λίτρας* 2) *τοῦ νόμου μὴ διδόντος*. idem apud alios scriptores legîmus, 3) inter quos et Gellius, a quo manu strenuus, bellator bonus militarisque disciplinae peritus audit, sed furax homo et avaritia acer. Etsi infamis hoc vitio, tamen Fabricius censor, cum in temporibus reipublicae difficillimis consules creandi forent et Rufinus competitores imbelles et futiles haberet, summa ope adnixus est, ut is consul crearetur, quia bello magno et gravi compilari quam venire mallet. 4) Non praeclare vero de eo opinatur auctor noster, qui infamia quam honore eum clariorem esse affirmat: caeteri contra eum cum Gellio egregie fortem et bonum imperatorem appellant, (Cic. l. l.) eundemque bello contra Pyrrhum inter celeberrimos fuisse duces atque duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum esse testantur. 5)

Ab eo Sulla sextus erat. Cfr. Vell. l. l.: nepos eius fuisse

1) Eutrop. II. 9.

2) Noster solus *supra* decem habet.

3) Val. Max. II. 9. Flor. I. 18. Liv. Ep. 14 Gell IV. 8. XVII. 21.

4) Gellius l. l. Cic. de Orat. II. 66.

5) Vell. Pat. II. 17. Val. Max. II. 4.

dicitur P. Cornelius Rufinus praetor ille, qui ludos Apollinares 1) instituit a. 213 a. C. Hic Sullae proavus fuit, ut hoc stemma docet:

P. C. Rufinus Cons. 290. 277. Dict. 276.

P. C. Rufinus, nullo magistratu functus.

P. C. Rufinus Praetor 212, cui primum cognomen Sullae; idem flamen Dialis captus est. 2)

P. Cornelius Sulla Praetor 185.

L. C. Sulla, nullo magistratu clarus.

L. C. Sulla noster.

Post Rufinum dictatorem igitur, inde a tertio saeculo a. C. nemo maiorum neque litterarum neque belli laude excelluit, familia prope exstincta maiorum ignavia 3) eiusque claritudine intermissa 4). Non longam ergo imaginum seriem neque triumphos aut multos maiorum consulatus ostentare poterat Sulla, neque divitiis pollebat, quas gloria, imperium, potentia sequebatur. *Oἱ δὲ μετ' ἐκεῖνον ('Ρουφῖνον) ἤδη ταπεινὰ πράττοντες διετέλεσαν, αὐτός τε Σύλλας ἐν οὐκ ἀφθόνοις ἐτράφη τοῖς πατρῴοις.* Ne domum quidem suam habebat et in conducto habitabat non magnam pendens pensionem, quod ei postea, quippe qui indignus tanta fortuna videretur, exprobratum est. Post Africanam enim expeditionem vir quidam probus ad eum gloriantem et sese jactantem dixisse fertur: „Qui tu probus esse possis, qui cum pater tibi nil reliquerit, tantas opes tibi parasti?" Nam, ut addit Plutarchus, licet tunc temporis omnes avaritia et luxuria invasisset, tamen aeque probrosi habebantur, qui facultates suas profudissent ac qui paternam paupertatem non retinuissent. Sed non facile ei fidem habebit, qui Sallusti-

---

1) Liv. XXV. 12.

2) Gell. 1. 12.

3) Sall. B. Iug. 95.

4) Vell. Pat. II. 17.

um de reipublicae moribus disserentem legerit. Postea cum rempublicam iam cepisset, libertinus quidam, qui unum ex proscriptis occultasse dicebatur et ideo de saxo deiciendus erat, ei exprobravit, quod diu secum in una domo habitasset tribus milibus habitans, cum ipse duo milia penderet, ita ut discrimen inter utriusque facultates in mille nummis consisteret.

CAPUT II.

Plutarchus nobis Sullae formam eiusque vitae genus describit. Oculos glaucos habebat, sed perquam truces, quos color faciei magis terribiles adspectu reddebat. Efflorescebat enim aspera rubedo i. e. glandulae rubrae albedini sparsim interfusa. Inde sannio quidam Atheniensis:

Συκάμινον ἔσθ᾽ ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.

Auctor noster existimat eum ob hanc causam Sullam dictum esse, quo nomine color faciei indicaretur. Atqui hoc falsum est, cum constet jam proavum eius illud nomen usurpasse. 1) Macrobius Saturn. I. 17. affirmat P. C. Rufinum praetorem ex libris Sibyllinis, Apollinaribus institutis 2), cognomen Sibyllam accepisse, deinde nomine corrupto Sullam appellatum esse. Quinctilianus vero 3) tradit a nota quadam corporis cognomen traxisse originem, ut sententia Gronovii plausibilis videatur existimantis Sullam *ὑποκοριστικῶς* a Sura formatum esse.

---

1) Eadem de causa verum non est, quod Amiotus putat, Sullam propterea a rubore faciei sic appellatum fuisse, quod ochra (terra lutei coloris) Latine *syl* vocetur eaque in ignem iniecta rubeat (unde syllaceus i. e. purpureus color). Deinde in scriptura errat: Sil enim scribendum fuisse, varia veterum scriptorum loci docent. (Plin H. N. XXXIII. 12. 13. XXXV. 7. Vitruvius VII. 1. VIII 4). A voce *sil* igitur viri nomen non descendit, quippe quod non Silla, sed Sulla (apud quosdam scriptores Sylla) scribatur Plut. Ed. Reiske.

2) Liv. XXV. 12.

3) Quinct. Inst. Or. I. 14. cf. Plut. Mar. c. 1. Coriol. II.

Quod ad vitae genus pertinet, iuvenis cum mimis et scurris vivebat et proterve agebat, quod Val. Max. VI. 9. 6. hisce expressit verbis: „L. Sulla usque ad quaesturae „suae comitia vitam libidine, vino, ludicrae artis amore „inquinatam perduxit. Quapropter Marium consulem moleste „tulisse traditur, quod sibi asperrimum in Africa bellum „gerenti tam delicatus quaestor sorte obvenisset." Regno autem occupato cum impudentissimo quoque, scenicis et histrionibus, praeter aetatem et imperii meaistatem potabat et dicteriis digladiabatur: cum alias tristis et morosus esset, in compotatione et convivio mimis et saltatoribus tractabilis et omnibus aditu promptus erat.

Ex duabus autem hereditatibus, quarum altera ei a meretrice vulgari, sed opulenta (Nicopoli) 1), altera a noverca venit, satis lautus fuit, ut libidinose et dissolute ei vivere liceret.

Nemo non perspicit quae Plutarchus utroque capite tradit non e commentariis hausta esse. Gentis suae fatis leviter perstrictis, 2) eam vitae suae partem, quam totam libidini dedit, silentio praeteriisse Sulla videtur.

De eius natura et cultu imprimis Sallustius 3) audiendus est: „Litteris Graecis atque Latinis juxta atque doctissime „eruditus; animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriae „cupidior; otio luxurioso esse, tamen ab negotiis numquam „voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius „consuli; facundus, callidus et amicitia facilis ad simulanda „negotia altitudo ingenii incredibilis; 4) multarum rerum ac

---

1) cf. Plut. de Fort. Rom. Reiske VII p. 263 ubi huius mulieris mentio fit.

2) Gellius I. 12. 16.

3) Sall. B. Iug. c. 95.

4) Haec conveniunt cum iis quae Cn. Papirius Carbo eius adversarius de eo sentit: ὡς ἀλώπεκι καὶ λέοντι πολεμῶν ἐν τῇ Σύλλα ψυχῇ κατοικοῦσιν ὑπὸ τῆς ἀλώπεκος ἀνιῷτο μᾶλλον.

„maxume pecuniae largitor. Atque illi felicissimo omnium, „ante civilem victoriam numquam super industriam fortuna „fuit, multique dubitavere, fortior an felicior esset: nam „postea quae fecerit incertum habeo pudeat magis an pigeat „disserere."

Addamus quae auctor noster cap. 6 de ingenio et indole eius tradit, ut iustam morum imaginem expressam habeamus: „Moribus dispar et sibi non constans fuit: rapere „multa, plura largiri, temere honore et contumelia afficere, „colere quos sibi utiles esse ducebat, fastidiosum esse in „illos qui aliquid ab ipso peterent, ut nescias utrum natura „fastidiosus an adulator fuerit. Si quis varietatem eius in „puniendo consideret; cum quavis de causa alios crudeliter „occideret, aliorum scelera leniter ferret; tum atrocissimis „facile veniam daret, tum levia et exigua peccata caede et „bonorum publicatione persequeretur, ita rem possit diiudicare „eum, natura ad iram et ultionem propensum, aliquid de „acerbitate remisisse, ubi ex usu esset."

Tandem omnes eius patientiam atque perseverantiam laudant, quam saepenumero, in rebus adversis comprobavit: non raro autem ex occulto atque ex insidiis agendum putabat: ex iis enim hominibus fuit, qui quidvis perpetiuntur, cuivis deserviunt, dum quod volunt consequantur. 1)

Ea quae de Sulla puero et adolescente nobis dicenda erant, non sunt multa. 2) Eum autem in litteras tam Graecas quam Latinas incubuisse atque artium liberalium amantissimum fuisse cum a Sallustio l. l. docemur, tum ex aliis rebus constat. Cum enim sese dictatura abdicasset atque in praedia sua prope Cumas secessisset, per biennium quod in villa sua degit commentarios de vita sua scripsit. Deinde cum ex Asia in Italiam rediret, Apelliconis biblio-

1) Cic. de Off. I. 30. 109.

2) De anno natali cf. observat. in cap. 6.

thecam Athenis Romam deportandam curavit, in qua plerique erant Aristotelis libri, nondum satis id temporis in vulgus noti. Itaque etiam tunc cum se summo periculo commissurus erat, litterarum sese studiosum praebuit. Tandem Sallustius 1) eius facunditatem laudat, ut rhetoricae haud impigre operam dedisse videatur. Nec mirum: inde enim a Catonis atque Gracchorum tempore rhetoricae apud Romanos summus honor erat et omnes juvenes ἀπὸ τῶν ἐπιφανῶν οἴκων, qui aliquando ad rempublicam accessuri erant, ad artem dicendi sese conferebant. Atque complures Sullae ferme aequales, inter quos nobilissimi, eloquentia pollebant: L. Calpurnius Piso, vir non indisertus, 2) Q. Metellus Numidicus, gravis et disertus vir, 3) Q. Lutatius Catulus, cuius oratio pura sic, ut Latine loqui paene solus videretur, sic autem gravis ut in singulari dignitate omnis tamen adesset humanitas ac lepos, 4) C. Julius Strabo, qui festivitate et facetiis et superioribus et aequalibus suis omnibus praestitit, quo nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior, 5) Caius Sulpicius Galba, cujus peroratio, qui epilogus dicitur, Ciceronis tempore tanto in honore erat, ut a pueris etiam edisceretur, 6) M. Antonius, omnium eloquentissimus, quos Cicero audierit, 7) L. Licinius Crassus, orator maximus. 8) Inde Marius in praeclara illa oratione. 9) „Equidem ego „non ignoro, si iam mihi respondere (nobiles) velint, abunde „illis facundiam et compositam orationem fore."

---

1) B. Iug. 95.
2) Cic. Brut. 34.
3) Gellius I. 6.
4) Cic. de Orat. III. 8. 29.
5) Cic. Brut. 48. 177.
6) Cic. Brut. 33.
7) Cic. Tusc. V. 19. 55.
8) Cic. Brut. 36. 138.
9) Sall. B. Iug. 85.

CAPUT III.

Jam nos accingamus ad Sullam in republica gerenda describendum.

Quid vero eum induxerit, ut quasi perruptis et disiectis nequitiae qua obsidebatur claustris hanc novam viam ingrederetur et quo fautore, cum ipse olim ad honores adspirare non videretur 1), emerserit, scriptum non exstat. Sed suspicari licet nobilitatem eius studia promovisse.

Primum igitur de eius quaestura-annos triginta et unum tunc natus erat cf. cap. 6 — agendum est. Haec in primum Marii consulatum incidit (107), quum bellum cum Jugurtha gerebatur.

Auctoris nostri primum error corrigendus est cum minus recte scribat: (Σύλλας) ἀποδειχθεὶς δὲ ταμίας ὑπατεύοντι Μαρίῳ τὴν πρώτην ὑπατείαν συνεξέπλευσεν εἰς Λιβύην πολεμήσων Ἰουγούρθαν. Non enim συνεξέπλευσε Μαρίῳ: teste Sallustio 2) ab imperatore domi relictus erat, ut ex Latio et a sociis equitatum cogeret. Quo tempore deinde in Marii castra venerit, e Sallustio deduci potest. 3) Quum ager aridus esset et frugum vacuus-nam aestatis extremum erat-Marius ad oppidum Capsam oppugnandum profectus erat, quo loco capto, aliis locis munitis potitus castellum in monte saxeo positum, ubi magna pecuniae vis erat recondita, haud longe a flumine Mulicha, summa vi capere contendit, in qua re multos dies et labores consumpsit. Tunc demum, dum ea res geritur, quaestor cum magno equitatu in castra venit. A vera temporis ratione non aberrare igitur videmur, si tunc exacta jam aestate hiemem appropinquare

---

1) Vell. II. 18.

2) B. Iug. 95.

3) B. Iug. 90. seqq.

existimamus (107): paulo post etiam cum Mario in hiberna profectus est. 1)

Jam supra memoravimus C. Marium moleste tulisse, quod sibi asperrimum bellum gerenti tam delicatus quaestor sorte obvenisset. 2) Ipse enim laboris patiens atque corporis viribus excellens, quae virtutes imprimis militem ornare videbantur, nil praeclari exspectabat ab effeminato isto Patricio, qui omnia ad voluptatem referens neque militiam usu doctus, in scortis et conviviis libidinem habebat. Inde factum esse suspicor, ut eum in Italia relinqueret, cuius opera sese parum in castris uti posse existimaret. Sed contra omnium opinionem Sulla sese virum acrem, industrium et rei militaris peritum praestitit, ut brevi consulis militumque amicitiam sibi compararet. Sallustium 3) testem adhibeamus: „Rudis antea et ignarus, sollertissumus omnium in paucis „tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne appellare, „multis rogantibus per se ipse dare beneficia, invitus accipere, „sed ea properantius quam aes mutuum reddere, ipse ab „nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurimi de- „berent, ioca atque seria cum humillumis agere, in operibus, „in agmine atque ad vigilias multus adesse, neque interim „quod prava ambitio solet, consulis aut cuiusquam boni „famam laedere, tantummodo neque consilio neque manu „priorem alium pati, plerosque antevenire."

Ubi Marius igitur animadvertit quaestorem acriter rei militari operam dare, maximae equitatus parti praefecit. Atque mox ei occasio data est memorabile quiddam edendi. 4) Iugurtha, magna pecunia locisque munitis amissis, socerum Bocchum, iam belli dubium atque pacis rationes trahentem,

1) Sall. B. Iug. 97.

2) Val. Max. VI. 9. 6.

3) Sall. B. Iug. 96.

4) Sall. B. Iug. c. 95 seqq.

tertia Numidiae parte praemio promissa perduxit, ut secum copias conjungeret Mariumque in hiberna proficiscentem invaderet. Barbari vero repulsi sunt. Quarto die post haud longe ab Cirta Mario a speculatoribus nuntiatur hostes ab omnibus partibus videri. Sulla, qui primum in eos incidit, confertis equis Mauros invasit, caeteris loco manentibus, ab iaculis eminus emissis corpora tegentibus. Dum equites eo modo proeliantur, Bocchus postremam Romanorum aciem aggressus ita Marium urgebat, ut paulum a fuga abesset, cum Sulla profligatis qui contra steterant, rediens a latere Mauris incurrit hostesque avertit, inter quos magna edita est strages.

Plutarchus et hoc loco et in Vita Marii c. 10 perquam breviter bellum Iugurthinum expedit: in iis vero quae tradit Marii laudibus obtrectat, Sullae contra bene gesta adauget exornatque, ut dubium non sit, quin Sullam ipsum rem cupide et inique in commentariis narrantem, legamus. Plutarchum enim si audiveris, non imperator, sed quaestor tibi bellum confecisse videbitur: Sulla Bocchi amicitiam, cuius legatos a latronibus circumventos et spoliatos liberaliter habuerat, sibi populoque Romano comparat. Mox a rege arcessitur, ut Iugurtha sibi captivus tradatur: τότε δὲ ἡττημένῳ καὶ πεφευγότι (Ἰουγούρθᾳ) πρὸς αὐτὸν ἐπιβουλεύων (ὁ Βόκχος) ἐκάλει τὸν Σύλλαν δι' ἐκείνου μᾶλλον 1) βουλόμενος τὴν σύλληψιν καὶ παράδοσιν τοῦ Ἰουγούρθα γενέσθαι ἢ δι' αὐτοῦ. Re tandem cum Mario communicata summum periculum subit cum paucis comitibus eum virum adiens eique barbaro sese committens, qui ne erga familiares quidem in fide perseverat. Iugurtha tradito, bellum confectum est: ὁ μὲν οὖν θριαμβεύων ἐπὶ τούτῳ Μάριος ἦν, ἡ δὲ δόξα τοῦ κατορθώματος ἣν ὁ Μαρίου φθόνος Σύλλᾳ προσετίθει, παρελύπει τὸν Μάριον ἡσυχῇ.

---

1) Sic lego pro μάλιστα.

Longe ab eo abit Sallustius. 1) Paucis rem absolvam quia diligenter et copiose de ea egit V. D. Smit in vita Marii ad cap. 10.

Bocchus bis proelio victus legatos ad Marium misit, qui peterent duos quam fidissimos ad eum mitteret: sese velle de suo et populi Romani commodo cum eis disserere. Misit imperator L. Sullam et A. Manlium legatum. Ille cuius facundiae, non aetati a Manlio concessum, apud regem verba fecit. 2) Benigne et placide hic respondit addiditque se si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum. Dein copia facta animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha donis corruperat. Legati igitur re infecta discesserunt.

Non multo post Mario in loca sola profecto turrim regiam obsessum, rex Maurorum iterum legatos ad Marium et si placeret Romam ire jussit, qui cum a latronibus circumventi et spoliati ad Sullam, quem consul propraetore reliquerat, profugissent, accurate et liberaliter habiti sunt. Ubi imperator negotio confecto rediit, eis potestatem Romam eundi fecit. Senatus autem respondit Boccho foedus et amicitiam dandam esse, cum meruisset. Qua re cognita, Bocchus a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret. Is missus cum praesidio equitum peditumque item funditorum Balearium, cum sagittariis et cohorte Peligna cum velitaribus armis, haud sine periculo ad regem pervenit atque ex mandato Marii foedus amicitiamque pollicitus est, modo Iugurtham traderet. Rex primo negitabat: immo dubius haerebat, utrum Sullam an generum proderet. Tandem complures dies cunctatus e quaestoris sententia Iugurtham per insidias tradidit, qui statim ad imperatorem perductus est.

Qui igitur Plutarchum lecturus est, hoc tenebit: Sulla neque suo arbitratu cum Boccho egit, neque inscio impe-

1) B. Iug. 102 seqq.

2) Secundum Appianum Manlius verba fecit. Num. 3.

ratore arcessitus, neque cum parvo praesidio missus est. Bonam quidem operam navavit, ut Iugurtha, qui nimirum non supplex ad regem fugerat, sibi traderetur: sed rex magis Marii victoriis quam quaestoris eloquentia et astustia perductus est, ut pacem a Romanis redimeret. Nobiles vero Marii odio incitati laudem belli confecti Sullae impertiebantur, qui tantos sibi spiritus atque tantam arrogantiam sumpsit, ut traditionem annulo signatorio insculptam haberet. 1) *Φύσει μεγάλαυχος ὢν καὶ τότε πρῶτον, ἐκ βίου ταπεινοῦ καὶ ἀγνῶτος ἔν τινι λόγῳ γεγονὼς παρὰ τοῖς πολίταις καὶ τοῦ τιμᾶσθαι γευόμενος εἰς τοῦτο φιλοτιμίας προῆλθεν.*

CAPUT IV.

Quamquam ea Marium pungebant, tamen Sullam inferiorem quam cui invideret ratus, eo legato in secundo consulatu (104) et tribuno militum in tertio (103) usus est: id autem temporis bellum acerrimum atque periculosissimum contra Cimbros et Teutonos gerebatur.

Eum hic egregiam operam dedisse omnes scriptores confirmant 2): „illustratus," ita Vell. Pat. „in Gallia legatione, „qua eminentissimos duces hostium fuderat."

Legatus enim Copillum, regem Tectosagorum, vivum cepit. Tectosagi erat gens Galliae Narbonensis, quae sese cum Cimbris contra Romanos conjunxisse videtur. Tribunus Marsos (?) magnam et populosam gentem, ad amicitiam et societatem cum Romanis perduxit. Quid Marsi sibi velint, non constat. Equidem non probo sententiam eorum qui existimant eos fuisse Marsos, qui ad Lippiam flumen

1) Val. Max. VIII. 14. 4.
2) Auct. de V. I. 75. Vell. Pat. II. 17.

sedes habentes Cimbrorum castra partim secuti esse dicuntur. Nihil enim de ea re traditur. Deinde cum constet Cimbros, vastatis regionibus, quae Rhodanum inter et Pyrenaeos montes intercedunt, eo anno (103) per saltus in Hispaniam transgressos esse, 1) non verisimile est Marsos, ad novas rapinas sociis profectis, in locis depopulatis remansisse, ut soli cum Romanis rem gererent.

Fuit potius gens Gallica, quae ut Tectosagi Cimbris juncta erat. Cum autem apud nullum scriptorem in Gallia utique gens Marsorum memoretur, fortasse cum V. D. Smit pro Μάρσους scribendum est Αὐσκίους, qui Tectosagis sunt finitimi. Quarto Marii consulatu (ann. 102) Sulla, intellecto imperatorem sibi ob praeclare res gestas invidere atque aditum ad laudem bellicam consulto praeripere, ad Catulum, Marii collegam, adiit, qui erat vir probus, sed belli ignarus. Is cum exercitu in Alpibus Italiae praesidebat, quia Cimbri, qui iter in Noricum flexerant, ab ea parte irrumpere conabantur 2): Marius contra Teutonis per Galliam transeuntibus ad Rhodanum se obiecit. 3) Sunt fortasse quibus Plutarchea minus placeant et qui haud temere existiment Sullam sese in illius castra contulisse, quia ex Catuli imperitia occasionem suam peteret. In utramque partem disputare licet.

In novis vero castris bonam suam famam amplificavit cum imperator ei praecipuas quasque et maximas res delegaret: complures enim barbarorum Alpinorum nationes subegit, deinde commeatus inopia exorta, tantam copiam fecit, ut etiam Marii milites sublevari possent. Ipse in commentariis refert Marium hoc graviter molesteque tulisse

---

1) Liv. Ep. 67.
2) Mar. c. 14.
3) Mar. c. 15.

Ex hac igitur simultate, ita Plutarchus, quae ex tam parva et levi occasione orta, inde per sanguinem civilem et seditiones atrocissimas ad dominationem erupit, colligi potest quam sapiens vir et morborum civilium gnarus fuerit Euripides, qui ambitionem tamquam mortalibus perniciosissimam et infestissimam iubet vitari. Alludit autem ad versus, quibus Jocasta Eteoclem filium ab ambitione dehortatur 1):

τί τῆς κακίστης δαιμόνων ἐφίεσαι,
φιλοτιμίας, παῖ; μὴ σύ γ'· ἄδικος ἡ θεός·
πολλοὺς δ' ἐς οἴκους καὶ πόλεις εὐδαίμονας
εἰσῆλθε κἀξῆλθ' ἐπ' ὀλέθρῳ τῶν χρωμένων·
ἐφ' ᾗ σὺ μαίνει. κεῖνο κάλλιον, τέκνον,
ἰσότητα τιμᾶν, ἣ φίλους ἀεὶ φίλοις
πόλεις τε πόλεσι συμμάχους τε συμμάχοις
συνδεῖ.

Non vero mihi persuadere possum acerrimas Marium inter et Sullam inimicitias ex illa occasione ortas esse. Ut complures Alpinae nationes a Sulla superatae et subiectae sint, ut consulem, frumenti inopia laborantem, sublevaverit, nonne ista levia et exigua, si cum Marii splendidissimis factis comparaveris? Quid illa ad belli eventum? Mox enim Catulus ex Alpium regione turpiter fugatus gravem cladem ad Athesim accepit. A vero igitur abhorret clarissimum illum imperatorem, qui tantas et tam feroces nationes fuderit et debellaverit, qui urbe gravissimo periculo liberata alter Camillus appellatus sit, punctum fuisse juvenis illius gestis, quorum splendor mox turpi clade est obscuratus. Neque hoc bello Sulla ita laude crevit, ut, quod Plutarchus sibi persuasisse videtur, magni imperatoris nomen sibi compararet: revera Mario semper ἐλάττων τοῦ φθονεῖσθαι mihi fuisse videtur.

De pugna ad Vercellas, qua Cimbrorum gens interemta

1) Phoen. 534. seqq.

est, hic ne verbum quidem: copiose eam describit cap. 25 et 26 Vit. Mar. Romani ita copias instruxerant, ut Catulus mediam aciem obtineret, Marii milites in utroque cornu dispositi essent, cuius rei Sulla ipse, qui proelio interfuit, auctor est idemque affirmat Marium eo consilio exercitum ita instruxisse, ut victoriae gloria in se atque in suos imprimis redundaret. Cum enim hostes numero longe superarent, veri simile erat eos id acturos, ut Romanorum aciem circumvenirent, ita ut in cornibus praesertim proelium committeretur „Sed potius laudetur summi ducis consilium „atque prudentia, qui ignavioribus Catuli copiis, quae ad „Athesim turpiter tergis datis signa deseruissent, suas invictas „fortissimasque legiones praetulerit" 1). Illa igitur invidissimum obtrectatorem redolent.

Eodem pertinet quod cap. 25 Vit. Mar. legimus: Marium proelio non interfuisse, sed hostium adspectu magna pulveris vi ademto ab hostibus aberrasse diuque in campis vagatum. Catulus scilicet hostes superavit! Qui cum rei militaris imperitus esset, omnia Sullae, sub se merenti, debebat! „In his quid magis miremur Sullae impudentiam an Plutarchi „credulitatem, difficile dictu est." 2)

De Sulla inde a bello Cimbrico usque ad praeturae petitionem auctores nil nobis tradunt. Coniectura probabile est eum Romae vixisse vel libidini vel etiam studiis, praesertim iuri publico deditum. Nam leges, quibus dictator rempublicam constituit, probant eum huius rei admodum peritum fuisse. Ubi autem iterum se ad rempublicam contulit, studiis operam dare ei non vacabat.

---

1) Smit p. 76.
2) Ibid. 79.

CAPUT V.

Sulla sese de populo Romano ita bello meritum ratus, ut honoribus dignus videretur, se ad populum ambiendum traduxit et aedilitate transmissa praeturam petivit, sed spe falsus est. Igitur in eo campo, cuius postea dominus exstitit, repulsa praeturae sugillatus est. 1) Errat autem Plutarchus, a quo statim e bello reversus praeturam petivisse traditur, cum constet 2) eum ann. 95 repulsam tulisse. Cuius rei causam Sulla ipse in commentariis infimae multitudini adscribit, quae propter familiaritatem eius cum rege Boccho magnificas venationes et Africanarum belluarum spectacula exspectans, eum primum aedilitate fungi voluit. Plutarchus vero hic auctori suo fidem habere dubitat, quae res nimis raro fit. Ἔοικε δὲ τὴν ἀληθῆ τῆς ἀποτεύξεως αἰτίαν οὐχ ὁμολογῶν ὁ Σύλλας ἐλέγχεσθαι τοῖς πράγμασι. Ἐνιαυτῷ γὰρ κατόπιν ἔτυχε τῆς στρατηγίας, τοῦ δήμου τὸ μέν τι θεραπείᾳ τὸ δὲ καὶ χρήμασι προσαγαγόμενος. Rebus ipsis igitur redarguitur, cum anno post largiendo et ambiendo honorem consecutus sit. Quare cum in praetura ira incitatus ad C. Jul. Caesarem Strabonem 3) dixisset sese sua potestate in eum usurum, ille arridens: „Recte," inquit, „praeturam existimas tuam, nam emisti."

Eo honore functus est ann. 93, C. Valerio Flacco M. Herennio coss. Nam μετὰ τὴν στρατηγίαν in Cappadociam missus est, quod in ann. 92 4) incidit. Num praetor urbanus an peregrinus fuerit non liquet. 5)

---

1) Val. Max. VII. 5. 5.

2) cf. infra.

3) cf. p. 9.

4) Liv. Ep. 70.

5) Auct. de vir. ill. c. 75. Pigh. in Annal. Rom. a. ann. 660.

Errat autem Vell. Pat. 1), qui existimat eum ann. 91 honore esse usum: „L. J. Caesare et P. Rutilio coss. universa „Italia arma adversus Romanos cepit..; clarissimi autem im- „peratores fuerunt Romani eo bello Cn. Pompejus... L. Sulla, „anno ante praetura functus." Neque faciendum est cum eis, qui eam in ann. 92 ponunt, ad auctoritatem provocantes auctoris de vir. ill. (c. 75) scribentis: „Sulla praetor Ciliciam „provinciam habet." Nam nimis manifestis verbis Plutarchus tradit eum ann. 92 ex praetura in Cappadociam missum esse.

Quod ad ludos pertinet, quos praetor dedit, 2) primus pugnam centum leonum iubatorum dedit, quos 3) in Circo solutos, cum alioquin alligati darentur, iaculatores a rege Boccho missi confecerunt. Hoc novo spectaculo auram popularem captabat.

Μετὰ δὲ τὴν στρατηγίαν εἰς τὴν Καππαδοκίαν ἀποστέλλεται. Ita Plutarchus minus recte. Ei nimirum praetura functo Cilicia provincia decreta est, simul autem legatione in Cappadociam accepta ei mandatum est, ut Ariobarzanem, regem a Romanis constitutum, a Gordio vero, Mithridatis praefecto, exagitatum, in regnum reduceret. Quod etiam Sulla in oratione ad Mithridatem indicat: 4) *Ἐς μὲν Καππαδοκίαν ἐγὼ κατήγαγον Ἀριοβαρζάνην, Κιλικίας ἄρχων, ὧδε Ῥωμαίων ψηφισαμένων.* 5) Id mandatum vero Plutarchus speciosum expeditionis titulum appellat, revera misso Sulla, ut Mithridatem, qui multa habebat, plura affectabat, comprimeret. Cappadociae enim inhiabat sperans sese Gordio ad suam voluntatem usurum et ut Florus III. 5. ait: „Elatus animis ingentibus, Asiae totius et, si posset, Europae „cupiditate flagrabat."

1) II. 15.

2) Plin. H. N. VIII. 20.

3) Sen. de brev. vit. 13. 5.

4) App. B. M. LVII.

5) Auct de vir. ill. c. 75.

Omnes consentiunt Sullam in hac expeditione bellicam laudem sibi peperisse. Cum haud magnas copias adduceret, sociorum opera usus, Cappadocum exercitum Armeniosque mercede arcessitos profligavit et eiecto Gordio, cui Mithridates, id temporis fortunam belli nondum tentare ausus, suppetias non venit, Ariobarzanem regem constituit, deinde exercitum usque ad Euphratis ripas perduxit. 1) Eum ibi versantem convenit Parthus Orobazus, regis Arsacis legatus. Cum antea nullum inter utramque gentem commercium intercesserit, magnae fortunae habetur, quod qui primi a Parthis legati ad Romanos sunt missi pacem amicitiamque petitum, 2) ad eum potissimum venerint. Hic tres sedes posuisse dicitur, unam Ariobarzani, alteram Orobazo, tertiam sibi mediusque adsidens cum eis egisse. Quam ob rem postea rex Parthorum Orobazum interfecit. Memoriae proditum est Chaldaeum quemdam ex Orobazi comitatu Sullae vultu considerato, animi corporisque motibus haud defunctorie, sed ad artis praecepta observatis pronunciasse hunc virum utique maximum evadere et sese mirari quod nunc non omnium primus esse velit. Secundum Vell. II. 28, qui etiam huius legationis et vaticinii meminit, ex notis corporis responderunt coelestem eius vitam et memoriam futuram. Quis autem hoc memoriae prodiderit quoque consilio, in oculos incurrit.

Eum in urbem reversum repetundarum postulavit Censorinus, quod invita lege ex amico et socio regno pecuniam accepisset: ille autem non ad iudicium venit et accusationem omisit.

Quis fuerit Censorinus de quo Plutarchus, non constat: suspicantur eum esse L. M. Censorinum, quem Cicero 3)

---

1) Just. XXXVIII. 2. 3. Liv. Ep. 70. App. B. M. 10.

2) Liv. l. l.

3) Cicero Brut. 67.

memorat: „Censorinus Graecis litteris satis doctus, quod „proposuerat explicans expedite, non invenustus actor, sed „iners et inimicus fori" et altero loco: 1) „Ex numero ora„torum Pomponius, Censorinus, Murena sublati", (bello Sullano).

CAPUT VI.

Sub initium belli socialis Sulla impudentia, qua laudem alienam affectabat, Marii iram excitavit. Bocchus enim ad populum colendum simulque in Sullae gratiam triumphales Victorias in Capitolio dedicavit juxtaque aureas statuas posuit, quibus Jugurtha a rege Sullae traditus exprimebatur. Cum Marius exacerbatus signa posita tollere vellet, Sulla vero cum amicis suis repugnaret, parum abfuit, quin ad arma veniretur. Quam dissensionem bellum sociale iam pridem gliscens compressit 2).

In hoc gravi et vario tumultu, quo bellicosissimi Italiae populi arma susceperunt Romanisque maximas clades intulerunt, Marius οὐδὲν ἀποδεῖξαι μέγα δυνηθεὶς audit, cum caeteri scriptores tradant eum bonam operam navasse. Quid de ea re sentiendum vide apud V. D. Smit ad cap. XXXIII.

Sulla res tam praeclaras gessit, ut magni imperatoris nomen apud cives, maximi apud amicos, felicissimi apud hostes sibi compararet. Quod verum esse haud quisquam negabit, cum eius egregie facta cognoverit. Alto autem silentio eas Plutarchus praeterit, qui a rebus bellicis narrandis abhorrere, ut ita dicam, videtur: nam eam partem vel plane neglegit, ubi iure ac merito quidquam requiras

---

1) Brut. 90.

2) Mar. c. 32.

vel ea est neglegentia, ut rerum ordine non observato narratio neque via neque ratione procedat.

In iis, quae hoc bello ad Sullam pertinent, dabo quod potuero: disertis enim testimoniis deficientibus, rerum ratio, praesertim quas primo anno gessit, exponi non potest et satius profecto est nescire quam cum Mommsen, qui nimis audacter res suo arbitratu disponit, rem incertam pro certa tradere.

Anno 90 Sulla legatus fuit L. Julii Caesaris consulis, cui bellum contra Samnites obvenerat, Publio Rutilio, altero consule, in Marsorum finibus agente, qui sibi Marium legatum elegerat 1). Initio Romani mala fortuna usi sunt. Papius Mutilus, dux Samnitium, urbe Nola proditione capta, Stabiis, Minturnis et Salerno expugnatis agrisque Nuceriae vastatis ferme totam Campaniam in suam potestatem redegit et, postquam copiarum numerum captivis atque servis adauxit, ad Acerras consedit. Campania amissa maximo reipublicae detrimento erat, propterea quod ex fertilissimo agro publico maxima vectigalia in aerarium referebantur et illa regio, pulcherrima populi Romani possessio, subsidium annonae horreumque belli erat. Romani porro inde ab initio de pecunia laborabant, magnis vectigalibus tumultu amissis 2).

L. Julius Caesar clade iam affectus ad Aeserniam 3), quam hostes deinde obsidione premebant, non multo post a Mario Egnatio, cum per fauces quasdam exercitum Acerras? contra Papium deduceret, ad flumen Saronem profligatus et fugatus est. Tunc se Teanum recepit et postquam auxiliarium Gallorum decem milibus et Numidico equitatu assumtis

1) App. B. C. I. 40 seqq.

2) Cicero de leg. agr. II. 29. 80.

3) Dubito an Vettius Cato (cf. App. l. l.) hostium copiis praefuerit, cum dux Marsicus esset. Fuit forsitan Marius Egnatius qui ad Saronem pugnavit, idem qui postea Aeserniam (?) et Venafrum expugnavit.

exercitum refecit, castra prope Acerras contulit, ut hanc urbem obsidione eximeret. Papius vero Oxyntam, Jugurthae filium, regis olim Numidarum, e Venusina in qua tum asservabatur custodia eductum ornatumque purpura, popularibus eius, sub Caesare militantibus, ostentabat. Cum complures ut ad regem transfugerent, consul caeteros ut suspectos in Africam remisit. Tunc Papio temere castra Romana oppugnare auso, Caesar porta decumana equitatu emisso, sex milia hostium concidit, cuius victoriae tanta fuit laetitia, ut Romae saga ponerentur, exercitus autem consulem imperatorem salutaret.

Sed non tanto gaudio id commodum dignum fuisse videtur, cum Caesar non multo post ab Acerris recesserit.

Sulla interim cum viginti quatuor cohortibus missus Aeserniam obsidione exemerat 1), sed mox cedere coactus est Mario Egnatio, ut opinor, appropinquante, quem cum in ea regione ageret, id oppidum obsedisse atque expugnasse suspicor 2). Non multo post Caesaris victoriam, quod ex Livio Epit. 73 deduci potest, fame urgente, Aesernia cum M. Marcello legato in Samnitium potestatem venit. Deinde Marius Egnatius Venafrum circumsedit, quam urbem proditione occupavit ibique duas cohortes concidit.

Anno exeunte consul Romam reversus est ad comitia consularia habenda, ubi legem Juliam de civitate sociorum tulit.

Eo modo in inferiore belli sede pugnatum est. Appianus autem B. C. I. 46. auctor est Sullam etiam contra Marsos pugnasse: eum castris iunctis cum Mario, qui P. Rutilio et Q. Caepione interfectis, summum obtinebat imperium, Marsis cladem intulisse et usque ad sepes vinetorum persecutos esse,

---

1) Oros. V. 18.

2) Non hic quidem nominatur, sed paulo post in Venafri obsidione.

in Sullam autem imprimis gloriam victoriae redundare, qui cum Romanis visum esset hostes, in vineta fuga delapsos, non amplius insequi, ab altera parte fugientibus occurrisset, multos eorum interfecisset, ut eo die supra sex milia ex Marsis perirent.

Vidimus vero eum L. Jul. Caesari legatum esse additum, nec ullo loco huius castra reliquisse traditur. Sunt qui Appianum erroris arguant, sunt qui fidem habeant. Sed frustra ab his 1) requiras, qui factum sit, ut imperatore suo relicto sese ad Marsos contulerit. Si rem coniectura assequi licet, ita expediam. L. Jul. Caesare dubio Marte in Campania pugnante Sulla in Samnio agebat, ut Aeserniam 2) a Samnitium obsidione liberaret, qua urbe capta ab reliquis copiis interclusus est (cf. supra) et postquam etiam Venafrum in hostium manus incidit, nullum ei iter in Campaniam patebat, ut vi coactus Samnitium fines reliquisse videatur.

Sin ea minus placent, praeclare illud factum pro turpi commento habeo, quo nobilium atrox odium Marii cognoscere et percipere licet, qui id contendebant et laborabant, ut Sulla ex illius laboribus laudem libaret. Optimates enim, qui imprimis bellum sociale cum turbis civilibus litteris mandaverunt, etiam Marium mortuum, ut ex Sullae commentariis manifeste probatur, crudelissimo odio persecuti sunt, ita ut qui ex his impuris fontibus hauserint, parum libero ore locuti videantur 3). Atque eo magis inducimur, ut rem pro impudenti mendacio habeamus, propterea quod Sulla primo belli anno laude rei militaris adversario suo longe inferior erat.

De rebus, quas secundo belli anno (89) gessit, maiore fide disserere licet. L. Porc. Catonis consulis legatus imprimis

---

1) cf. Momms. Rom. Gesch. II. 239.

2) Oros. l. l.

3) Sall. B. Jug. 95.

ostendit se virtute bellica pollere 1): praeclara enim facinora in Samnio edidit.

Stabias captas pridie Kal. Maias delevit, 2) inde Pompeios oppugnatum profectus est, A. Postumio Albino legato classi praefecto, qui, ut videtur, 3) a mari urbem premeret. Hic autem 4) vir nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione civis eximius, cum intolerabili superbia omnium militum odium in se suscitasset, pro nomine proditionis accusatus, in castris lapidibus obrutus est, quae caedes eo indignior, quod oranti atque obsecranti a militibus causae dicendae potestas negabatur. Scelus non tantum inultum Sulla reliquit, sed etiam gloriatus praedicavit sese militibus promptioribus esse usurum, qui peccatum virtute eluere eniterentur. De qua re haec Orosius l. l. „Sulla consul „civilem cruorem nonnisi hostili sanguine expiari posse „testatus est: cuius rei conscientia permotus exercitus ita „pugnam adortus est, ut unusquisque pereundum videretur, „nisi vicisset." Ob eam rem incusatus nil movebatur, quia gratiam exercitus captabat, quo favente sese imperium contra Mithridatem consecuturum sperabat. Non enim me iudice animi lenitate et mansuetudine inductus est, ut scelus neglegeret: cum Plutarcho eum habemus: *φύσει μὲν ὀργὴν χαλεπὸν ὄντα καὶ τιμωρητικὸν, ὑφιέμενον δὲ τῆς πικρίας λογισμῷ πρὸς τὸ συμφέρον.*

Samnites autem Cluentio duce Pompeios ab obsidione liberare contendebant: repulsi castra movere coacti sunt. Non multo post, cum Gallorum auxilia advenissent, Cluentius reversus pugnandi copiam dedit. Hostibus numero superantibus, metus Romanos occupavit, quo Sulla vero eos solita sollertia liberavit. Accidit enim, ut cum ante prae-

1) App. l. l. Diod. VI. p. 246 Tauchn.

2) Plin. H. N. III. 5.

3) Liv. Ep. 75.

4) Val. Max. IX. 8. 3. Liv. l. l. Oros. l. l.

torium immolaret, ab infima ara sanguis subito emergeret. Quod prodigium C. Postumius haruspex felicissimum interpretatus est. Tunc sine mora exercitum adversus hostem eduxit. Ubi Gallum quemdam insigni proceritate, qui e Romanorum acie fortissimum quemque ad certamen singulare provocabat, Numida exiguae staturae confecit, tantum pavoris Gallos Cluentianosque invasit, ut trepidi Nolam refugerent 1). In ipsa fuga non minus triginta milia interfecta et cum Nolani veriti, ne Romani simul irrumperent unam tantum portam aperire auderent, circa ipsos urbis muros alia viginti milia periisse traduntur. In occisorum numero fuit Cluentius 2). Milites Sullam imperatorem salutaverunt et graminea corona donaverunt: id etiam in villa sua Tusculana, quae fuit postea Ciceronis, pinxit. Vehementer probo Val. Max. verba l. l. quae ad hanc pugnam pertinent: „Quae victoria futurae eius amplissimae potentiae gradus et „fundamentum exstitit" ut iam iam *οὐκ ἐλάττων τοῦ φθονεῖσθαι* videretur.

A Nola profectus in Hirpinos castra contulit, quos Compsa 3) et Aeculano captis recepit, deinde in Samnium irrupit, Papium Mutilum delusit, tandem Boviano per tres horas obsesso potitus est 4). Quibus rebus gestis exercitum Cosconio et Lucceio tradidit, ipse Romam contendit, ut consulatum peteret.

Plutarchus igitur rem non in maius extulit scribens: *Σύλλας δὲ πολλὰ δράσας ἄξια λόγου, δόξαν ἔσχεν ἡγεμόνος μεγάλου μὲν παρὰ τοῖς πολίταις, μεγίστου δὲ παρὰ τοῖς φίλοις, εὐτυχεστάτου δὲ καὶ παρὰ τοῖς ἐχθροῖς.*

---

1) A Cic. docemur (De Div. 1. 33.) Sullam haec florentissima Samnitium castra ante oppidum Nolam expugnasse, ex quo patet hostes propius hanc urbem quam Pompeios consedisse.

2) Cic. de Div. I. 23 II. 30. Plin. H. N. XXII. 6. Val Max. I. 6. 4.

3) Vell. Pat. II. 16.

4) App. b. c. I. 51.

Cuius felicitatis mentione facta, eum a Timotheo, clarissimo Atheniensium duce, dissentire demonstrat, qui cum inimici et aemuli quae fortiter et feliciter gessit, fortunae assignarent atque in tabulis ipsum pingerent dormientem, fortunam reti urbes implicantem, graviter molesteque tulit et infensus quasi gestorum laude despoliaretur, quondam a bello reversus pro concione dixit: „At in hac certe re, „Athenienses, fortuna pro nihilo fuit" 1). Sulla contra, omnia egregie facta fortunae attribuens, felicitatis opinionem admisit, immo auxit et amplificavit eo consilio, ut divinitatis fidem factis adjungeret *εἴτε κόμπῳ χρώμενος εἴθ' οὕτως ἔχων τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον.* Etenim in Commentariis scripsit rectius sibi cecidisse quae non consulte, sed ex tempore temere aggressus esset quam quae mature deliberasse sibi viderentur, ut plus fortunae quam virtuti tribueret. Inde totum se fortunae mancipavit, quippe qui concordiam suam cum Q. Metello Pio, socero et viro paris dignitatis, divinae cuidam felicitati assignat: quem cum sibi in consulatu maxima negotia exhibiturum exspectasset, lenissimum collegam habuit. Praeterea Lucullum in Commentariis admonet *μηδὲν οὕτως ἡγεῖσθαι βέβαιον ὡς ὅτι ἂν αὐτῷ προστάξῃ νύκτωρ τὸ δαιμόνιον* et in Vita Luculli c. 23 *παρῄνει δὲ διὰ τῶν ὑπομνημάτων ἐκεῖνος, μηδὲν οὕτως ἀξιόπιστον ἡγεῖσθαι καὶ βέβαιον ὡς ὅτι ἂν ἀποσημανθῇ διὰ τῶν ἐνυπνίων.*

Nil mirum igitur Felicem illum in Commentariis suis tam diligenter prodigia enarrasse. Sic hoc capite legimus, quum in bellum sociale mitteretur, apud Lavernam 2) hiatum

---

1) Auctor rem paulo aliter narrat in Apophth. p. 709 Reiske.

2) Locus quidam in urbe ita appellatus videtur (ad aram Lavernae). Erat autem Laverna Dea a furibus et fraudulentis hominibus culta, ut notum est ex Hor. Ep. I. 16. 60.

Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da iustum sanctumque videri,
Noctem peccatis et fraudibus obice nubem.

terrae exstitisse, ex quo grandis ignis erumperet et lucida flamma sublimis ferretur. Haruspices autem nuntiarunt virum egregium et forma insignem, imperium nactum instantes tempestates ab urbe depulsurum. Hunc se esse Sulla declaravit: nam faciei suae peculiarem esse auri colore rutilantem comam: sese autem non erubescere, si sibi tantum virtutis sumat, tam praeclaris rebus gestis. Non semper quidem Plutarchus, qui ea diligenter excepit, Sullam auctorem nominat, sed cum in hoc capite et aliis locis (17, 27, 37) affirmet, sese eas res e Commentariis hausisse et nemini magis quam Sullae conveniat tales nugas memoriae prodere, non temeritatis erit, eundem ubi non nominatim memoratur pro fonte habere (c. 5. 7. 9. 11. 27. 28. 29.)

Quis vero non dubitet, an Sulla revera tam credulus, tam superstitiosus, tam religiosus fuerit? Quis est qui in istis somniis et prodigiis non potius fraudem dolumque videat, qui non existimet Sullam ipsum haruspicum ineptias risisse? Auctor noster, tam temere Commentariis usus, hic quidem dubius haerere videtur scribens: εἴτε κόμπῳ χρώμενος (Σύλλας) εἴθ' οὕτως ἔχων τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον et, ut dicam quod sentio, Sulla non vir religiosus est, qualis vulgo habetur: prodigia et somnia illa impune finxit atque militibus suis populoque Romano imposuit. Qui tantae ἀσεβείας est ut lucis sacris manus iniciat, celeberrimum et sanctissimum Olympii templum spoliet, sacros Graeciae thesauros auferat, οὐχ οὕτως ἔχει τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον. Quid? Ad Caphim, Delphos missum ut templum spoliaret, sed citharae cantu ex adyto audito ita perterritum, ut manus abstineret, iocans scripsit: sese Caphem mirari, quippe qui non intellegeret gaudentis, non indignantis cantum esse: ne ergo capere dubitaret, utpote cum gaudio Deo dante. Num haec sunt pietatem ergo Deos colentis?

Ad quid autem prodigia illa et somnia? Cur tamquam a Deo profecta simulat? Cur denique praeclara facinora τῷ δαιμονίῳ

tribuit? Quia aequalibus persuadere conatur Deos sibi singulari modo patrocinari causamque suam defendere, ut in rebus adversis militum animos augeat sibique viam victoriae atque gloriae faciat. Diligenter vero eandem rem litteris mandavit eo consilio, ut sibi etiam apud posteros nomen felicissimi hominis compararet, quasi semper in Deorum immortalium sinu atque complexu fuisset. Porro res eius gestae ita a numine ipso excusari videbantur.

Ad eundem finem alio dolo usus est. Ut ostenderet non solum prodigiis Deos sibi studere et favere, sed etiam bene factis extulisse, ut neminem ante mortalium, impudenter mentitus est numerum referens suorum, qui in proeliis ceciderunt. Post pugnam ad Chaeroneam, qua contra ingentem hostium numerum dimicavit, duodecim tantum suorum desideravit (c. 19): proelio ad Sacriportum viginti milibus hostium interfectis, octo milibus captis, ex sua parte tantum viginti et tres se amisisse declarat (c. 28). Quis talia credat? Nonne haec impostoris sunt?

Non nego tamen Sullam ut multos alios, qui ab infimis ad summa pervenerunt, miro quodam modo sese fortunae commisisse, quam fiduciam cum iis quae apud Sallustium 1) leguntur cohaerere suspicor. Ex libris Sibyllinis enim, qui communi opinione fata imperii Romani continebant, tres Cornelios rempublicam capere fato destinatum erat: „Galli „Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermo„nibus, quos ille habere solitus erat, ex libris Sibyllinis reg„num Romae tribus Corneliis protendi; Cinnam atque Sullam „antea, se tertium esse cui fatum foret urbis potiri." Hac re igitur forsitan factum est, ut fortunae suae crederet atque omnibus modis et mentiendo et fingendo contenderet, ut omnibus mortalibus felicitatis opinionem daret.

Sed haec hactenus. Iam pergamus de Sullae vita disse-

---

1) Coni. Cat. c. 47. cf. App. B. C. II. 4.

rere. Exeunte anno secundo belli socialis vel Marsici (89) Romam reversus, ut supra ostendimus, paene omnium civium suffragiis consul creatus est 1) cum Q Pompeio Rufo πεντήκοντα ἔτη γεγονώς. Vell. autem l. l.: „Eum honorem „undequinquagesimo aetatis suae anno assecutus est." Cum praeterea constet 2) eum sexagesimo anno aetatis decessisse (78), Plutarchus errat, annum, quo honore functus est, cum anno, quo consul est designatus confundens. Natus igitur est anno 138. 3)

Errat etiam Eutropius 4), qui existimat, quadriennio cum gravi calamitate hoc bellum tractum esse: quinto demum anno finem accepisse per L. Corn. Sullam consulem, cum antea in eodem bello multa strenue, sed praetor egisset. Nam addito etiam anno 91, quo bellum potius paratum quam gestum est, non amplius quadriennium esset. Sulla consule vero bellum confectum erat, nisi 5) qua Nolani belli manebant reliquiae. Vestinos enim et Pelignos Cn. Pompeius proconsul in deditionem acceperat, Marsi quoque, Silone Pompaedio in pugna interfecto, pacem petierant, soli Samnites, qui postea sese cum Cinna et Mario coniunxerunt, arma retinebant. 6)

Consul factus uxorem nobilissimam duxit Caeciliam, Metelli Pii, Pontificis maximi, filiam (c. 33), Coelia quae ei fuit tertia per causam sterilitatis repudiata. Quod autem paucis diebus post Metellam duxit, immerito illam culpasse videtur: hanc quidem semper coluit, ut in Athenienses,

---

1) Vell. Pat. II. 17.

2) Val. Max. IX. 38. App. B. C. I. 105.

3) App. l. l. Plin. H. N. XXVI. 86. VIII. 44. Auct. de vir ill. 75. Paus. 1. 20.

4) Eutrop. V. 3.

5) Vell. Pat. l. l.

6) Liv. Ep. 76. 80.

qui eam conviciis e muris prosecuti essent, ob eam causam durius consuleret. Prima ei fuit Ilia, quam admodum adolescens duxerat; haec ei filiolam edidit, quae Pompeio Rufo nupsit; secundam habuit Aeliam. Utrum has etiam repudiaverit an morte amiserit, non constat. Erat autem in multorum nobilium invidia populusque indignabatur, cum matrimonio indignum iudicarent, quem dignissimum consulatu habuerant: *οὐκ ἄξιον ἡγούμενοι τῆς γυναικὸς, ὃν ἄξιον ὑπατείας ἔκριναν, ὥς φησιν ὁ Τίτος* i. e. T. Livius, quem solo praenomine auctor appellat, ut saepius facere solet. Ea autem, quae auctor hoc loco tangit, ad Liv. l. LXXVII pertinent, qui deperditus est.

CAPUT VII — VIII.

Sulla consulatum id temporis ad futura parvi pendens vehementi animi affectu bellum Mithridaticum affectabat. Et revera ei Asia provincia sorte obvenit 1): *ὑπατεύων ἔλαχε στρατηγεῖν τῆς Ἀσίας καὶ τοῦ δὲ τοῦ Μιθριδατείου πολέμου* 2).

Cum autem, antequam in Asiam proficisceretur, circa Nolam moraretur (sub finem ann. 88) ut belli socialis reliquias tolleret, Marius, ambitione impulsus et gloriae cupiditate, ei adversatus perniciosam illam seditionem molitus est, e qua maximae reipublicae calamitates manarunt. Eas Deus prodigiis ostendit, quas Plutarchus more solito diligenter enarrat, neque abest suspicio, quin ex Sulla ipso hauserit. Non opus est omnes istas nugas referre, quae totum fere caput VII explent. Unum, quo docemur, quid Romani sibi de

---

1) Vell. II. 18.
2) App. b. c. 1. 55.

gente humana animo effinxerint, attingam. Nihil fuit horribilius, quam quod sereno coelo tubae vox insonuit, lugubre et acutum canens, ut homines ad vehementiam clangoris obstupescerent. Ex his Tusci haruspices mutationem rerum instare praedicabant. Esse enim hominum, moribus et vita inter se dissidentium, octo genera, quorum cuique certum annorum numerum praefinitum. Cum alterius aetatis terminus adesset, ex terra vel coelo miraculum moveri, quo alteram instare significaretur 1).

Marius igitur ei imperium contra Mithridatem eripere contendit, in qua re operam Sulpicii, tribuni plebis, adhibuit. Eum virum Plutarchus pro omnium mortalium sceleratissimo et improbissimo habet, ut non quaerere oporteat, num altero sit sceleratior, sed in qua re se ipse improbitate superet: crudelis, audax, avarus, ad omnia scelera et flagitia paratus. Ius civitatis palam in foro libertinis et novis civibus vendebat, 2) tria milia satellitum alebat atque adolescentibus ex ordine equestri, quos contrasenatum appellabat, stipatus erat. Cum rogationem tulisset, ne quis senator supra duo milia denarium aeris alieni conflaret, 3) myriadas ter centum ipse moriens reliquit. Quoniam vero qui horum temporum historiam instituerunt nobilitatis partes sequebantur, ne temere ad Plutarchi et aliorum auctoritatem provocemus, qui haud prudenter illis fontibus usi

---

1) Censor. de die nat. c. 18. Illustr. Heijne ad Virg. Ecl. IV. v. 50.

2) Quid Plutarchus his verbis velit, difficile est dictu. Cum libertini novique cives (hos enim μετοίκους appellare videtur) ius civitatis ex lege haberent, cur emissent? An πολιτεία ius suffragii in omnibus tribubus audit? Sed eam ipsam legem Sulpicius tulit. Caeterum res venalis non erat, neque singulis neque universis vendi poterat. Nil veri inesse videtur, nisi quod, cum Sulpicius magna indigeret pecunia, eius tenuitatem libertini novique cives sublevarunt, ut largiendi facultatem haberet manumque armatam alere posset. Inde forsitan idem aere alieno obrutus est.

3) Nil de hac re apud caeteros scriptores legimus.

sunt. Cicero quidem, iam ab illis turbis magis remotus, benignius de eo sensit. 1)

Deinde Plutarchus minus recte scribit: (Σουλπίκιος) βίᾳ καὶ σιδήρῳ νόμους ἔγραφεν, ἄλλους τε μοχθηροὺς καὶ τὸν διδόντα Μαρίῳ τοῦ Μιθριδατικοῦ πολέμου τὴν ἡγεμονίαν. Ἀπραξίας δὲ διὰ ταῦτα τῶν ὑπάτων ψηφισαμένων etc. Post legem enim illam, ut exsules revocarentur, 2) tulit, ut novi cives libertinique in quinque et triginta veteres tribus distribuerentur 3) atque haec ne perferretur consules iustitium indixerunt, ut comitia haberi non possent. 4) Deinde cum ferias remittere recusarent, turbae ortae sunt, quibus Sulla et Pompeius cedere coguntur: huius filius, liberius locutus, periit, ipse effugit; Sulla autem in Marii domum sese recepit et averso ostio a Mario emissus Nolam ad exercitum confugit. Hoc enim magis probo quam quod Sulla ipse, ne Marii beneficio vivere credatur, in Commentariis tradit 5) se non ad Marium confugisse, sed invitum abductum esse, strictis undique in se gladiis, unde egressum pro adversariorum voluntate iustitium remisisse. Qua de causa cum Pompeio honorem abrogasset, illi consulatum reliquit.

Tunc demum Sulpicius legem pertulit, qua ei imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur. Statim tribuni militum 6) Nolam missi, qui exercitum ad Marium deducerent.

---

1) cf. Smit ad cap. XXXV. Cic. Brut. 55. De har. resp. 19.

2) Liv. Ep. 77.

3) Quo audito Sulla statim Romam reversus esse videtur.

4) App. B. C. 1. 55.

5) Mar. c. 35.

6) Val. Max. IX. 7 et Oros. V. 19. Gratidium legatum missum dicunt.

CAPUT IX.

Quo audito Sulla πολέμῳ κρίνας διακριθῆναι 1) contionem convocavit et qua erat sollertia et facundia, militum animos captabat. Cum praedae Asiaticae avidissimi essent, eos timere intellexit, ne Marius alios milites in hoc bellum conscriberet: praeterea Sullae auspiciis, qui ipse libidinosus multa in eorum gratiam condonare solebat quam Marii bellum gerere malebant, qui „neque ventri neque turpissimae parti corporis" deditus erat.

Commemoratis igitur iniuriis, quibus a Sulpicio Marioque esset affectus, belli civilis caute nulla mentione facta, milites hortatus est, ut parati essent ad iussa facienda: qui cum eius mentem intellexissent, eum bono esse animo et in Urbem se ducere iusserunt ad iniurias inimicorum vindicandas 2). Confestim laetus sex legiones Romam versus duxit. 3) Tribuni a Mario missi a militibus exacerbatis lapidibus obruti sunt 4). Quo nuntio allato Marius vicissim Sullae amicos in urbe trucidavit eorumque bona publicavit 5): complures Roma relicta in Sullae castra confugerunt. Is, licet milites animo prompto et alacri videret, tamen dubius haerebat, tantum facinus admittere cunctans; verebatur porro, cum tribuni omnes deserto exercitu ad Urbem aufugissent, ex quaestoribus vero unus tantum ducem sequeretur, patriae bellum inferre non sustinentes, ut copiae in fide perseverarent. Mox autem ei animus additus est a Posthumio ha-

1) App. B. C. I. 57.

2) App. l. l. 58.

3) Orosius V. 19. quatuor legiones tantum enumerat.

4) Plut. Mar. 35. Oros. l. l. Val. Max. VIII. 8. 5.

5) Mar. l. l. Utrum πολλοὶ fuerint, iure dubitatur: licet enim suspicari Sullam hanc rem exasperasse et auxisse cf. Smit ad cap. 35.

ruspice, qui inspectis extis eum sacrificantem oravit, ut sese in custodia haberet et ad supplicium duceret, nisi omnia ex animi sententia cecidissent 1). Etiam excitatus est somnio, quo Deam quandam fulmen sibi tradentem atque inimicos ferire jubentem, quos nominatim appellabat, videre visus est: hi vero percussi cceiderunt et e medio dilapsi sunt. Quid de his rebus sentiendum sit, alio loco declaravimus: hic fictae sunt ad animos confirmandos eorum, qui contra cives arma capere dubitabant, ne signis relictis ad adversarios transfugerent.

Senatus vero, qni suae potestatis non erat, sed ad Marii et Sulpicii nutum circumagebatur, 2) audito Sullam ad Urbem venire, D. Iunium Brutum et P. Servilium Albinovanum praetores misit qui eum procedere vetarent: qui paulo ferocius locuti in summum discrimen inciderunt: confractis fascibus praetextisque direptis et multis contumeliis illatis eos remiserunt. Hic adspectus gravem tristitiam movebat, quod insignibus praetoriis spoliati seditionem iam non comprimi posse vel sedari ostenderunt. Marius tunc etiam bellum parabat.

De hac re nihil habet Appianus, qui tantummodo tradit 3) Sullae, cum castra movisset, legatos obviam factos sciscitantes, quid ita patriam armatus peteret; his respondisse, ut eam a tyrannide liberaret: eodem responso iterum atque tertio aliis post alios legatis dato, tamen pollicitus est, si senatus cum Mario et Sulpicio sibi praesto essent in Campo Martio, se de communi consilio acturum.

Ad Pictas tandem alia legatio ab eo postulavit, ne intra quintum lapidem castra poneret, donec senatus de praesenti negotio deliberasset: hunc enim ei satisfacturum et annuit

---

1) Aug. de civ. Dei II. 24.

2) Liv. Epit. 77.

3) B. C. I. 57.

quidem Sulla, sed intellecto Marium id spectare, ut spatium intercederet, dum ipse ad bellum paratus esset, abeuntes e vestigio secutus cum Pompeio, qui ei appropinquanti accurrerat, Romam contendit. Acri pugna commissa, qua ipse signo arrepto in primam aciem provolavit proeliumque restituit, Urbe potitus est Mariumque fugavit 1). Hic igitur primus hostiliter patriam ingressus est ann. 88. Per totam noctem vigilando ac singula loca obeundo milites a rapinis iniuriisque prohibuit et statim primo mane populi contione convocata, de statu reipublicae, iam dudum turbulentis hominibus traditae, questus est: sese autem coactum fecisse quidquid factum esset.

CAPUT X.

Deinde senatu coacto Mario cum aliis duodecim, inter quos Sulpicius, aqua et igni interdixit, qui auctores seditionis arma adversus consules tulissent et servitia ad pileum sollicitassent; permissumque quicumque in eos incidisset vel impune occidere vel ad consules retrahere; eorumdem bona publicata sunt et dimissi qui eos perquirerent 2). In curia unus Q. Mucius Scaevola augur victori restitit 3). „Eius „voluntati nullo obviam ire audente, solus Scaevola inter- „rogatus de hac re sententiam dicere noluit. Quin etiam „truculentius sibi minitanti Sullae: „Licet, inquit, mihi „agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, „licet mortem identidem miniteris, numquam tamen efficies, „ut propter exiguum senilemque sanguinem meum Marium, „a quo urbs et Italia conservata est, hostem iudicem."

---

1) Rem breviter adstrinxi, quia V. D. Smit copiose et egregie de ea disputavit ad c. 35.

2) App. b. c. I. 60.

3) Val. Max. III. 8. 5.

In Marii caput pecuniam pronunciavit οὐκ εὐγνωμόνως, οὐδὲ πολιτικῶς ᾧ γε μικρὸν ἔμπροσθεν ὑποχείριον εἰς τὴν οἰκίαν δοὺς ἑαυτὸν, ἀσφαλῶς ἀφείθη. Καίτοι Μαρίῳ τότε μὴ διέντι Σύλλαν, ἀλλ' ἀποθανεῖν ὑπὸ Σουλπικίου προεμένῳ πάντων κρατεῖν ὑπῆρχεν, 'αλλ' ὅμως ἐφείσατο· καὶ μεθ' ἡμέρας ὀλίγας τὴν αὐτὴν λαβὴν παρασχὼν, οὐκ ἔτυχε τῶν ὁμοίων. Ita Plutarchus eum reprehendit.

Sulpicius, quem equites in Laurentinis paludibus sunt assecuti, occisus est, a servo suo proditus, quem Sulla manumisit, ut praemium promissum indicii haberet, deinde de saxo praecipitavit ob scelus proditi domini. Caput eius erectum et ostentatum pro rostris velut omen imminentis proscriptionis fuit 1).

De legibus, quas Sulla victor tulit, Plutarchus ne verbum quidem: Livius l. l. tantummodo refert, eum reipublicae statum ordinasse et colonias deduxisse 2). Appianus B. C. I. 59 nobis pro omnibus est accurate ea referens, quae ad optimatium dominationem confirmandam promulgata sunt, ne turbulentis hominibus respublica in posterum traderetur.

I. Quae Sulpicius post iustitium constituerat abrogavit ὡς οὐκ ἔννομα.

II. Legem tulit, qua populum rogare sine senatus auctoritate non licuit.

III. Sanxit, ut ex instituto Servii Tullii comitia centuriata restituerentur neu, sicuti in morem venerat, comitia tributa haberentur.

---

1) Liv. Ep. 77. Oros. V. 19. Val. Max. VI. 5. 7.

2) Cum huius rei, dignissimae quidem memoratu, Livius solus auctor sit, sunt qui legant colonias reduxit i. e. cum complures coloniae bello sociali deletae essent, magna colonorum multitudo, Sulpicii promissis adlecta, Romam confugerat, quos Sulla domum reduxisse dicitur, ne quis se absente iterum per infimam illam plebem turbas suscitaret. Etiam postea Cinna, novos cives in omnes tribus se distributurum pollicitus, eo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in urbem accivit cf. Vell. Pat. II. 20.

IV. Senatum *trecentis* ex optimatibus adlectis auxit. Tertia et quarta rogatione sese seditionum materiem et fontem sublaturum sperabat, cum a temeritate populari ad patrum maturitatem legum consultatio et ab egentissimi cuiusque audacia ad circumspectionem locupletium suffragia revocarentur. Tribuni enim sibi paulatim omne ius agendi cum populo arripuerant et senatu neglecto maiestatem populi patrum auctoritati praeferri et anteponi contendebant. Inde rogationes sine senatus auctoritate in comitiis tributis ferri solebant. Quae Sulla antiquavit effecitque, ne quid ἀπροβούλευτον in comitiis iisque centuriatis ferretur: hic enim, postquam ex Servii instituto sunt restituta, suffragia in locupletium potestate erant.

Altera quoque ratione Sulla adductus est, ut comitiorum tributorum auctoritatem restringeret, centuriatorum contra augeret. Quidquid in his comitiis olim mutatum est, constat classes omni tempore ex censu conscriptas mansisse, ut quicumque neque census neque ex censu in classem esset relatus, suffragium inire non posset. Cum autem novi cives nondum a censoribus in civium numerum asciti essent, ius suffragii non adepti erant: itaque Sulla eos in comitiis centuriatis a suffragiis removit et leges, quibus sociis civitas data erat, quasi irritas fecit. Nullam autem populi partem esse censam Julio et Crasso censoribus (89), uno anno post quam ex lege Julia civitas sociis et Latinis data est, Cicero nos docet pro Archia c. 5.

---

1) Ex fragmento illo: „Unciaria lex dici coepta est, quam „L. Sulla et Q. Pompeius Rufus tulerunt, ut debitores decimam „partem"... nil certi deduci potest. cf. Mommsen Röm. Gesch. II. p. 262 „Klar ist es nicht was das Zwölftelgesetz der Consuln „Sulla und Rufus von 88 in dieser Hinsicht vorschrieb; die ein- „fachste Annahme bleibt aber darin eine Erneuerung des Gesetzes „von 397 zu sehen, so dass der höchste erlaubte Zinsfuss wieder „$^1/_{12}$ des Capitals fur das zehnmonatliche oder 10 % fur das „zwölfmonatliche Jahr ward."

Hisce rebus factum esse, ut etiam tribunicia licentia coerceretur, in promptu est atque eo Appiani verba pertinent: *πολλά τε ἄλλα τῆς τῶν δημάρχων ἀρχῆς τυραννικῆς μάλιστα γεγενημένης περιελόντες* (consules) 1).

Quibus constitutis Sulla legiones Capuam praemisit, ipse in Urbe remansit ad comitia consularia habenda. Sperabat fore, ut Nonius, sororis filius et Servius, ab ipso commendati consules designarentur, veritus ne se absente respublica denuo perturbaretur: quae spes eum fefellit. Creati sunt Cn. Octavius et L. Corn. Cinna, quorum alter vir spectatae moderationis optimatium partes sequebatur, alter, homo omnium crudelissimus, a popularibus partibus stabat. Sulla quidem, ut erat cuius rei libet simulator et dissimulator *προσεποιεῖτο χαίρειν ὡς τοῦ δήμου τῷ ποιεῖν ἃ βούλοιτο, δι' αὑτὸν ἀπολαύοντος τῆς ἐλευθερίας.*

Plutarchus huius repulsae causam populi irae tribuit indignantis, quod tam ingrato animo erga Marium fuerit. Hoc autem est nimis Marii gratiae adscribere; deinde parum temporum rationem mihi nosse videtur. Propius vero est quod Mommsen 2) scribit: „Vermuthlich war es haupt-„sächlich die Capitalistenpartei, die mit dieser Wahl dem „Urheber des Zinsgesetzes vergalt." Equites porro, veriti ne iudicia sibi eriperentur, una cum plebe nobiles odio habuerunt, immo partium popularium vires fuerunt. Inde Sulpicius *πλῆθος ἱππικῶν νεανίσκων πρὸς ἅπαν ἑτοίμων περὶ αὑτὸν εἶχεν, οὓς ἀντισύγκλητον ὠνόμαζε.* (c. 8). Atque Sulla

---

1) Sulla in omnibus quae fiebant Pompeium adiutorem habuit, sed de eo imprimis cogitandum est. Sunt qui Appianum errare existiment affirmantes, Sulla dictatore, tum demum has leges esse latas. Auctor vero optimis fontibus usus videtur, neque mihi persuaderi potest Sullam victorem non id studuisse, ut plebis nimiam potestatem frangeret, optimatium vero auctoritatem restitueret. Eaedem leges postea quidem renovatae sunt, cum seditionum procellis essent perversae.

2) Röm. Gesch. II. 265.

postea maxime in eos saeviit et acerbitate proscriptionis suae est usus in veteres iudices: 1) quod magis est, Cicero affirmat bellum illud Italicum propter iudiciorum metum excitatum esse 2).

Adde etiam multos veteres cives indignari, quod Sulla cum armis in urbem ingressus esset. Ob eas potius causas ei in comitiis δυσμένεια καὶ νέμεσις φανερὰ ἀπήντα.

Priusquam ad exercitum proficisceretur, Cinnam gravissimo iureiurando adegit, ne contra se faceret. Hic enim in Capitolio multis praesentibus diras sibi imprecatus est, ut, nisi in fide mansisset, urbe ita eiceretur, sicuti e manu lapis, deinde lapidem proiecit. Parum vero iurisiurandi memor fuit: statim enim magistratu inito ei per M. Vergilium tribunum plebis diem dixit, ut eum procul ab Italia amandaret, neve consiliis suis, e propinquo observatis, obsistere posset 3). Sulla itaque qui olim sagacissimus erat in perspiciendis hominum consiliis et negotiorum natura rimanda, multum hic aberravit.

Multa praeterea Sullae suadebant, ut in bellum Mithridaticum proficisci maturaret. Milites, quos spe praedae Asiaticae inflammatos ad bellum contra patriam permoverat, tandem in Asiam proficisci animis gestiebant, cui ardori haud sine periculo resisti potuit; deinde prospiciendum erat, ne Mithridates nimis potestate et viribus cresceret. Imprimis autem motus est nuntio mortis collegae Q. Pompei, qui missus, ut exercitum a Cn. Pompeio proconsule reciperet, seditione, quam dux creaverat, a militibus interfectus est 4). Quo audito tam vehementer sibi timuit, ut semper in Urbe

---

1) Cic. pro Cluentio c. 55.

2) Cic. off. II. 12.

3) Dio Cass. Fragm. Peir. 117.

4) App. B. C. I. 59. 63. 64. Vell. Pat. II. 20. Liv. Ep. 77. Val. Max. IX. 7. Vit. Mar. 41.

amicis stipatus incederet, quos ne noctu quidem dimisit. Tandem initio anni 87 Capuam profectus est, mox in Asiam traiecturus.

CAPUT XI.

Interim Mithridates, Ponticus rex, vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquamdiu fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal 1), quam acerrime bellum paraverat regnique fines late protulerat. Bithynia Nicomedi, Cappadocia Ariobarzani ereptis, Phrygiam occupavit, deinde Asiam in suam redegit potestatem et quidquid in ea civium Romanorum erat, uno die trucidari iussit 2). Dum ipse Pergami agens amicis opes et regna dispertitur, filii eius longinquas regiones obibant: quorum alter, cui nomen Pharnaces nullo adversante in Ponto et Bosporo vetus regnum usque ad desertas illas regiones super Maeotin lacum obtinebat, alter, Ariarathes 3), magnis copiis Thraciam et Macedoniam invasit. Alias regiones alii duces ad imperium adiungebant: quorum princeps Archelaus, totum ferme mare obtinens, insulas Cycladas aliasque subegit. Aristio 4), philosophus ex schola Epicuri, muneribus ab Archelao captus, tyrannidem Athenis occupavit, quam civitatem deinde ad Mithridatis partes pertraxit, civibus aliis occisis, qui cum Romanis fecerant, aliis Mithridati traditis: cum porro huius opibus valeret, urbem facile sub tyrannide tenuit. Ubi Archelaus in Graeciam traiecit, Athenas sedem

---

1) Vell. Pat. II. 18.

2) Alii 80.000, alii 150.000 eos numero fuisse tradunt.

3) Legendum videtur: Arcathias App. B. M. 35. 41. cf. cap. XV.

4) Posidonius solus eum Athenionem Peripateticum appellat.

belli habuit, unde profectus Achaeos, Lacedaemonios, Boeotosque omnes, exceptis Thespiensibus, qui in fide Romanorum manebant, sibi adiunxit. Metrophanes interim cum alia militum manu Euboeam et agros Demetriadis Magnesiaeque, quae civitates a regiis partibus abhorrebant, populabatur. Cui tandem Bruttius Sura, Sentii, Macedoniae praetoris, legatus, vir singularis audaciae, occurrit: eum pugna navali aggressus fugavit Sciathumque, praedonum barbarorum receptaculum, expugnavit 1). Deinde in Boeotiam contendit, ubi Archelaus Thespias oppugnabat, et mille equitibus peditibusque ex Macedonia auctus ad Chaeroneam per triduum cum Aristione et Archelao dubio Marte conflixit. Cum autem ad hostes Lacedaemoniorum et Achaeorum auxilia accessissent, se iam imparem ratus vel, ut auctor noster existimat, iussus a Lucullo cedere Sullae, cui ea provincia decreta erat, in Macedoniam reversus est 2).

CAPUT XII.

Sulla initio anni 87 — consules enim iam magistratum inierant 3) — Italia relicta Epiro appulit cum quinque legionibus, cohortibus aliquot equitumque alis. Hic in iisdem fere angustiis versabatur, quibus olim Hannibal, bellum in Italia gerens, cum nullam navium facultatem haberet, rei frumentariae, commeatus atque pecuniae inopia premeretur, nulloque subsidio ex Urbe sublevaretur: immo mox legionibus Romanis, quas adversarii in Graeciam miserunt, erat

---

1) App. B. M. .

2) App. docet eum ad Piraeum recessisse, quod fieri non potuit, cum in Archelai et Aristionis potestate esset. Plutarchus Surae commodum augere et ornare videtur: καὶ τρισὶ μάχαις διαγωνισάμενος περὶ Χαιρώνειαν ἐξέωσε καὶ συνέστειλε πάλιν ἐπὶ τὴν θάλατταν.

3) Cap. X. Dio Cass. l. l.

occurrendum. Itaque plane opibus et facultatibus destitutus ab animi virtute auxilium petendum videbat.

Ubi pecuniam et auxilia et commeatum ex Aetolia et Thessalia arcessivit, in Atticam profectus est, in quo itinere civitas Thebanorum et tota ferme Boeotia legatis missis ad eum defecerunt: Athenae vero in regiis partibus manebant 1). Non vero haec defectio Atheniensibus, vi coactis, imputanda est: 2) „Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenae „oppugnatae a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum „veritatis verique ignarus est. Adeo enim certa Athenien-„sium in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quid-„quid sincera fide gereretur, id Romani Attica fide fieri „praedicarent."

Sulla Lucium Murenam legatum cum parte copiarum misit ad Aristionem in urbe oppugnandum, 3) ipse Piraeum petivit, quo Archelaus se receperat. Quidquid autem molitus est, nihil profecit: operis munitione et barbarorum telis repulsus machinis omne genus compingendis operam dare coactus est, in quibus moliendis quotidie decem milia iugorum mularium occupata erant. Compluribus eorum ab hostibus incensis atque materia pecuniaque deficientibus, non dubitavit, ut huic inopiae mederetur, lucis sacris Deorumque templis manus inicere, quod alioquin summum nefas putabatur. Hic Plutarchus eum comparat cum illis pristinae aetatis ducibus M'Acilio Glabrione, Q. Flaminino, L. Aemilio Paulo, qui cum optimi duces tum viri religiosissimi a templis temperaverunt Deosque donis ornaverunt. Hi militibus modestis et dicto audientibus utebantur, Sullae vero aetatis duces multitudini assentiebantur et corrumpebant, ut aliis imperarent. Cuius mali Sulla princeps fuit fons. 4)

---

1) App. B. M. 30.

2) Vell. Pat. II. 24. App. B. M. 28.

3) Hoc ex Appiano deduci licet c. 32.

4) Hunc locum suum fecit Dio Cass. cf. Fragm. Peir. CXXIII.

Barbari saepenumero haud infeliciter eruptione pugnabant. Velut cum novae copiae a Mithridate Dromichaete duce, missae ad Piraeum appulissent, hostes tam acriter involaverunt, ut Romani sese fugae manderent, donec occurrente Murena atque alia legione, a lignatione reversa, pugnae superveniente proelium restitutum est.

Iam instante hieme, Sulla ad Eleusinem ubi hiemaret castra metatus fossam profundam a montibus ad mare deduxit, ne facile ab hostibus incursaretur: quotidie vero pugnatum est nunc ad fossam, nunc ad muros urbis. Eodem tempore — *ἦν μὲν οὖν ἀκμὴ χειμῶνος* — Lucullum quaestorem 1) in Aegyptum et Syriam misit, ut classem colligeret. Archelaum enim, cui mare patebat, commeatu intercludere non potuit, qui etiam Athenas, ubi fame laborabatur, sublevare contendit: eas autem multis castellis circumdedit, ne quis effugere posset. Ineunte vere Piraeum tam vehementer aggressus est, ut moenium partem subrueret; cum nihilominus ab hostibus repulsus esset, ab oppugnatione desistere atque eum obsidere instituit. Ipse vero ab urbem se convertit 2).

CAPUT XIII.

Athenas expugnare animo gestiebat vel *σκιομαχῶν πρὸς τὴν πάλαι τῆς πόλεως δόξαν* vel irritatus dicteriis, quibus Aristio ipsum Metellamque ex muris insultando et deridendo exacerbavit 3). Quibus Plutarcheis, si quid valent, hoc profecto anteponendum est in Sullae rem esse, ut bello in Graecia quam

---

1) App. B. M. 33 eum legatum facit.

2) Auctor noster res quae ad Piraeum pertinent cum Athenarum oppugnatione confudisse videtur cf. App. l. l.

3) Idem narratur de garrul. p. 11.

celerrime confecto in Asiam traicere, Mithridateque ipso devicto, Romam reverti maturaret, ubi Cinna iam cuncta miscebat. Hostes vero a tergo relinquere haud sine magno suo periculo facere potuit, praesertim quod quo tempore socii Romanis rebellaverant, Mithridates his auxilium pollicitus erat atque idem eo consilio bellum in Graeciam transtulisse videtur, ut ubi occasio daretur, ipsam peteret Italiam. 1)

Qui autem obsidebantur, licet inopia pressi, fortiter restiterunt. Hic Aristio sese omnium mortalium nequissimum praestitit, qui civibus fame laborantibus, ut herba et calceamentis vitam tolerarent, ipse in deliciis versaretur atque senatores et sacerdotes, qui supplices ad eum venerant, ut civitatis misereretur pacemque faceret, sagittis iniectis dissiparet. Inde Florus efflatus ut assolet: „Athenas ur„bem (quis crederet) frugum parentem obsidione ac fame ad humanos cibos contulit." 2)

Vix tandem tres e compotoribus suis de pace ad Sullam misit, qui cum multa de Theseo, Eumolpo, bello Medico iactarent, Sulla: „Facessite, o boni," inquit, „cum vestra „oratione. Ego enim non discendi causa a populo Romano „Athenas missus, sed ad rebelles subiciendos."

CAPUT XIV.

Tandem Athenae Kalendis Martiis (86) expugnatae sunt. Cum milites senes quosdam in Ceramico confabulantes et tyrannum insectantes audiissent, quod qua parte urbs aditum daret, non praesidia collocasset, hoc Sullae renuntiaverunt 3).

1) Diod. VI. p. 244 seqq. Tauchn.

2) Flor. III. 5.

3) Plut. de garrul. p. 11.

Is loco inspecto noctu rem aggressus diruto quidquid inter duas portas Piraicam et Sacram murorum erat, urbem cepit et magno cum terrore ingressus est. Romani strictis gladiis ad caedem rapinasque per vias volaverunt et obvium quemque interfecerunt, nec aetati nec sexui parcentes, qui dum aedes perscrutantur, passim carnes humanas ad cibum paratas invenerunt. Urbs cadaveribus oppleta, quorum numerus definiri non potuit; sanguine autem totus Ceramicus ad Dipylon fluxit eiusque rivi in suburbium manaverunt. Ita fame enervati erant miseri incolae, ut ne ad fugiendum quidem vires superessent.

Multi etiam, nihil clementiae et moderationis a victore exspectantes, mortem sibi ipsi consciverunt, alii sese ultro percussoribus obiecerunt. Sed duobus exsulibus et senatoribus qui eius castra sequebantur deprecantibus, tandem urbi pepercit: ἔφη χαρίζεσθαι πολλοὺς μὲν ὀλίγοις, ζῶντας δὲ τεθνηκόσιν. Ut Flor. l. l. ait: „Postquam domuerat ingratis„simos... hominum, in honorem tamen mortuorum, sacris suis „famaeque donavit." Servos sub hasta vendidit, ingenuis qui admodum pauci caedem effugerant libertatem concessit. Ὧδε μὲν ἄδην εἶχον αἱ Ἀθῆναι κακῶν.

Aristio incenso Odeo, ne ex eius trabibus materies ad oppugnationem parari posset, in arcem confugerat et a Curione legato obsessus tenebatur. Χρόνον ἐγκαρτερήσας συχνὸν aquae penuria coactus sese tradidit, 1) quod divinitus accidisse illico miraculo comprobatum est, ut Plutarchus i. e. Sulla nobis persuadere conatur: nam qua hora Curio eum ex arce deduxit, nubes coelo sereno coierunt et arcem magna aquae vi impleverunt. Appianus 2) addit tyrannum

---

1) Hoc post pugnam ad Chaeroneam factum videtur. cf. Licin. XXXV. ex quo Momms. colligit Sullam hiematum Athenas recessisse. Röm. Gesch. II. p. 299.

2) B. M. c. 39.

cum suis etiam cibi penuria laborasse: nonne prudens hoc Sulla, id commentum referens, omiserit, ut res eo magis τοῦ δαιμονίου esse videretur? De eo satellitibusque eius summum supplicium sumpsit: cum in templum Minervae confugisset, inde abstractus est 2).

Non multo post Archelaus veluti furioso Romanorum impetu perculsus Piraeum reliquit atque in Munichium se recepit, deinde a Mithridate, ut videtur, iussus, cum Taxile in Boeotia arma coniunxit. Sulla pleraque Piraei ornamenta delevit, inter quae Philonis armentarium, laudatum illud receptaculum mille navium 2): Piraeum autem evertisse videtur, quia non tantis utebatur copiis, ut quos locos cepisset praesidiis confirmare posset.

CAPUT XV.

Interim Taxiles, Mithridatis dux, cum centum milibus peditum, decem equitum et nonaginta curribus falcatis ex Thracia et Macedonia appropinquabat: in quas copias Archelaus, ex statione ad Munychium arcessitus, summum obtinebat imperium. Cum is in animo haberet Romanis copiam pugnandi non dare, sed hostibus commeatum intercipere et cunctando restituere rem, mox tamen proposito destitit manusque conseruit. Quare iure conicitur eum a Mithridate iussum esse pugnare. Ab hac narratione Appianus B. M. c. 41 discrepat qui nulla Taxilis mentione facta narrat Archelaum per Boetiam in Thessaliam iter fecisse atque circa Thermopylas reliquias copiarum, quas partim

---

1) Paus. in Att. c. 20, Plutarchus (c. 23) refert eum veneno necatum esse.

2) Cic. de or. I. 14. Val. Max. VIII. 12. Plin. H. N. VII. 37. App. B. M. 40.

ipse, partim Dromichaetes ad Athenas obsidione liberandas adduxerat, collegisse. Idem Arcathiae exercitum, Mithridatis filii, arcessivit, qui olim a rege contra Sullam Athenas oppugnantem missus Macedonia subacta in itinere circa Tisaeum morbo interiit, itemque aliam manum, quam rex tum primum miserat. Huic Taxilem praefuisse suspicor. Plutarchum vero magis probo, qui in rebus narrandis, quae ad pugnam apud Chaeroneam patriam pertinent, accuratius solito ex Commentariis hausisse videtur.

Sulla intellecto sese in Attica annonae difficultatem vitare non posse etiam in Boeotiam contendit, quae quidem regio hosti, equitatu multum valenti, opportuna, sibi contra iniqua erat. Insuper Hortensii legati periculo, strenui viri et gloriae cupidi, movebatur, quem fugatum ab Arcathiae militibus copias ad eum ex Thessalia adducentem barbari in angustiis captabant. Caphis autem quidam eum alio itinere circumduxit sub ipsam Tithoram, quod est castellum in Parnassi vertice positum; hostibus interdiu repulsis, noctu in Patronidem per loca confragosa descendit ibique ab occurente Sulla receptus est.

CAPUT XVI.

Hi iunctis copiis collem Philoboeotum media in Eleatica situm planitie, quam Cephissus flumen perfluit, occupavere: perpauci admodum erant, cum secundum Plutarchum non ultra mille quingentos equites, pedites minus quindecim milia efficerent. Appianus B. M. c. 41 refert eos ne tertiam quidem partem hostium aequasse (οὐδ' ἐς τριτημόριον τὰ πάντα τῶν πολεμίων). Cum autem barbari πάντες ἐς δυώδεκα μυριάδας ἀνδρῶν numero essent atque ab eodem doceamur 1)

1) B. M. c. 30.

Sullam cum triginta circiter milibus hominum in Graeciam traiecisse, Plutarchus a Commentariorum scriptore in errorem inductus videtur, quem mentiri non puduit, ubi sese pro viro quodam a numine dilecto haberi vult atque Deos immortales ipsos pro se pugnantes inducit. Itaque existimantes copias eius Graecis Macedonibusque, qui statim ab Archelao defecerunt, aliisque ex regionibus finitimis auctas 1) ad triginta quinque milia fuisse, non longe a vera ratione aberrare videmur. Cum Archelaus aciem instruxisset, campus, equis, curribus, clypeis scutisque completus, ingens copiarum multitudo, tantarum nationum 2) strepitus et, ululatus armorum splendor, Romanis terrorem iniecerunt, ut trepidi castris sese continerent, neque Sulla iis animos addere posset. Hostes interim nulla disciplina usi ad rapinas diversi abierunt et multorum dierum itinere a castris diffuderunt; nulliusque ducis iussu Panopen oppidum Phocidis et Lebadiam in Boeotia diripuisse perhibentur; unaquaeque gens suum habuit ducem, omnibus autem Archelaus praeerat.

Sulla quidem milites non feriari permisit, sed Cephissum derivare fossasque ducere jussit, ut confecti laboribus pugnam concupiscerent. Quod evenit 3). Nam tertio die quam laborare coeperant, Sullam forte praetereuntem magno cum clamore pugnam poposcerunt: qui eos statim collem quemdam saxosum et abruptum sub radices Edylii montis ad flumen Assum, in quo arx oppidi excisi Parapotamiorum steterat, occupare iussit. Quod ubi Archelaus animadvertit, eodem consilio usus, chalcaspidas misit, quos Romani vero summa alacritate contendentes praeverterunt. Cum ille repulsus

1) App. B. M. c. 41.

2) Erant quippe Thraces Ponticique, Scythae ac Cappadoces, praeterea Bithyni, Gallograeci, Phryges aliique e novis Mithridatis provinciis collecti.

3) Front. I. 11. 20.

Chaeroneam peteret, Sulla a Chaeronensibus, qui inter auxilia Romana erant, oratus ne desereret oppidum eorum, Gabinium 1) tribunum militum cum una legione simulque qui opem requirebant eo misit. Gabinius autem ea celeritate iter confecit, ut Chaeronenses anteverteret oppidumque servaret. Ἡ *μὲν οὖν πόλις ἡμῶν παρὰ τοσοῦτον ἐξέφυγε τὸν κίνδυνον*, ita Plutarchus, qui sibi placet in narrandis quae ad patriam eius pertinent. Idem multus est in pugnae loco describendo; nam Chaeroneae suae est amantissimus.

Rem tribus quae sequuntur capitibus enarrat: non autem necesse est ut singula referamus: Appiano 2) adiuvante, paucis pugnae rationem exponere conabimur.

CAPUT XVII.

Archelaus loca superiora obtinebat, inter quae Thurium asperum cacumen montis Orthopagi. Sulla, cum sacra litassent, Chaeroneam petebat; quo cum pervenisset, eum appropinquantem duo cives adierunt, qui si paucos milites sibi tradidisset, hostes a Thurio se depulsuros affirmabant: se enim semitam hostibus ignotam inituros, unde barbaros superne saxis obruerent vel in planitiem proturbarent. Sulla milites misit qui rem aggrederentur, simul aciem in lato campo, qui ad oppidum patet, instruxit. Equitatum in cornua distribuit, ipse in dextro egit, sinistro Murenam praefecit, Galba et Hortensius legati cum subsidiariis cohortibus novissimam aciem obtinebant, intenti ne acies circumveniretur: id enim hostes moliri suspicari licebat ob numerum Barbarorum et quia equitum levisque armaturae copiosam manum ostentabant.

---

1) Iuba non Gabinium, sed Ericium ait missum, ut ipse refert Plut.

2) Appianus B. M. 41 seqq.

CAPUT XVIII.

Qui missi sunt ut occulto calle in Thurium invaderent bene rem gerunt: hostes turpiter fugiunt, quorum tria milia occiduntur. Fugientes partim Murena excipiens concidit, partim ad suos reiecti ordines turbarunt. Ubi Romani signa intulerunt, Archelaus, cum nihil de pugna cogitans nondum aciem instruxisset, ad eos submovendos partem equitatus praemisit; quibus profligatis sexaginta currus falcatos immisit, si forte hostium aciem scindere ac interrumpere posset. Romani autem eos irritos fecerunt, cum intervallo inter utramque aciem celeriter decurso quadrigas iusto spatio, maxime iis cum impetu concitandis necessario, destituerent vel, ut Appianus refert, Romani discessione facta currus usque ad ultimam aciem praetervehi sinunt, ubi equi et aurigae a triariis, telis undique coniectis, opprimuntur. Inde, ut ludis Circensibus fieri solet, cum plausu et risu alios poscunt. Tandem Archelaus omni equitatu immisso mediam Romanorum aciem perrupit: hi vero in orbem consistentes fortiter repugnaverunt.

CAPUT XIX.

Interim Archelaus dextrum cornu produxit Romanos circumvenire parans, atque Hortensium, qui in latus invehebatur, a reliquo exercitu interclusit. Sulla ei cum equitatu subvenit, qua re perterritus Archelaus circumventione omissa ad dextrum cornu properavit sperans sese id sine duce inventurum. Simul Taxiles chalcaspidas contra Murenam duxit. Priusquam vero barbari ex orbe circum Romanos facto se in rectam frontem explicassent, Sulla Hortensio cum quatuor cohortibus Murenae auxilio misso ad suum

cornu contendit atque acriter hostes invasit. Tunc omnibus partibus acerrime pugnatum est. Fortissime autem quindecim milia servorum restiterunt, qui stantes in prima acie Romanos et pilis et gladiis rem agentes repulerunt. Tandem Sulla princeps in dextro cornu victor exstitit; deinde Murenae subvenit. Iam hostes profligati et proturbati sunt, quorum decem milia tantum cum Archelao Chalcidem effugerunt. Multi per campum caesi, plurimi in castris obtruncati: Archelaus enim, qui suos in pugnam redire cogeret, castrorum portas claudi iusserat, tandem obtestationibus expugnatus aperuit; sed Romani simul cum fugientibus irruperunt victoriamque consummaverunt.

Adversus eos qui cum Archelao passim ad Chalcidem confugerant Sulla paululum temporis ad quietem militi dato properavit, sed cum Romanis naves deessent, ille secure per insulas vagatus mox in Euboeam reversus est 1).

Haec pugna in annum 86 cadit. Errat autem Pausanias I. 20. 24, qui eodem fere die quo Athenae captae sunt eam commissam esse affirmat 2). Sulla quatuordecim tantum (rem in commentariis refert) desideravit, ex quibus sub vesperum duo redierunt. Quam ob rem tropaeis Martem, Victoriam et Venerem inscripsit, quod non minus felicitate quam consilio et virtute ex proelio victor discessisset. Quis vero ista credat praesertim de pugna illa, ubi quindecim milia servorum, qui spe libertatis ad summam virtutem inflammati fortissime locum suum tenebant Hortensiusque ita premebatur, ut ab acie sua intercluderetur? Iam supra declaravimus, ad quem finem haec ficta sint. Eodem referenda sunt quae legimus cap. XVII. Post pugnam, ut

---

1) App. B. M. c. 45.

2) Mommsen Röm. Gesch. II. 299 existimat Sullam eo proelio commisso Athenas recessisse ibique hiemasse (86—85), anno post ad Orchomenum pugnasse et 84 in Asiam traiecisse.

Sulla ipse in Commentariis libro X narrat, Q. Titius, in Graecia negotiari solitus, cum adiit atque alteram victoriam a Trophonio sponderi retulit. Post hunc quidam ex cohorte praetoria, Salvenius nomine, ex divina inspiratione futurum bellorum civilium eventum praedixit. Ad quid haec νικηφόρα μαντεύματα? Id agebatur, ut militum alacritas excitaretur atque victoriae spes confirmaretur. Nam etiam post id proelium res in iisdem erat difficultatibus, immo novae obiciebantur, cum non solum integrae hostium copiae appropinquarent, verum etiam L. Val. Flaccus ab adversariis in Urbe contra Sullam missus esset. Quid mirum hunc talia commentum esse, ut militum animos confirmaret?

CAPUT XX.

Interea Romae magna rerum commutatio facta est: inde a Sullae profectione respublica sine iure fuit et sine ulla dignitate 1). Cinna et Marius bellum Urbi intulerant et velut captam caedibus et rapinis vexarant, Cn. Octavio consule occiso citra ulla comitia se ipsos consules in sequentem annum renuntiaverant (87). Cum initio consulatus Marius mortuus esset, in huius locum suffectus est L. Val. Flaccus, qui cum duabus legionibus missus, ut Sullae succederet (86) λόγῳ μὲν ἐπὶ Μιθριδάτην, ἔργῳ δὲ ἐπ' ἐκεῖνον αὐτόν. 2)

Sulla contra eum profectus est, sed ubi Meliteae, quod est oppidum Thessaliae, nuntium accepit omnia quae recepisset a tergo non minoribus quam antea copiis conculcari,

---

1) App. l. l.

2) Cic. Brut. 63. 227.

3) App. B. M. 51. B. C. I. 75. Liv. Ep. 82.

in Boeotiam reversus est. Dorylaus enim cum octoginta milibus armatorum Chalcidem appulerat, qui nimis ferox cum Sulla manus conserere vehementer cupiebat: nam haud sine proditione ducis maximum illum exercitum ad Chaeroneam deleri potuisse credebat. Itaque Archelaum, qui eum a pugna deterrere conabatur, neglexit, sed Romanorum apud Tilphossium, qui est mons ad urbem Haliartum, periculo facto ipse auctor fuit, ne acie decerneretur, atque belli diurnitate Sullam atterendum esse censuit. Attamen Archelao castris ad Orchomenum positis locus pugnae equestri opportunissimus nonnihil spei dabat: nam ex omnibus campis Boeotiis spatiosissimus est, insuper arboribus nudus.

CAPUT XXI.

Castris collatis Archelaus quietus consedit, Sulla vero ab utroque latere fossas duxit, ne hostis equitatu, qua parte virium multum valebat, uti posset: ὡς δὲ εἶδε τῆς ἐπελθούσης ἵππου τὸ πλῆθος, ὤρυσσε τάφρους πολλὰς ἀνὰ τὸ πεδίον, εὖρος δέκα πόδας 1). Quod inventum a Frontino 2) laudatur: „Sulla fossas „amplae latitudinis in utroque latere duxit et capitibus earum „castella communiit: qua ratione ne circumiretur ab hoste „et peditum numero et maxime equitatu superante consecutus „est." Sed equites ab Archelao emissi, ut eum hac re prohiberent, tam acriter involarunt, ut non solum qui in opere occupati erant, verum etiam qui in acie stabant fugarentur. Tum Sulla, postquam eos frustra haud sine minis incitavit, ipse de equo desiliit et signo 3) arrepto in primos ordines irruit clamans: „Mihi quidem decorum, o Romani,

1) App. B. M. 49.
2) Strat. II. 3. 17.
3) Front. l. l. habet: stricto gladio.

„hic interire: si vero ex vobis quaeretur, quo loco imperatorem vestrum prodideritis, respondere mementote: Orchomeni" 1). Quae vox milites ad officium revocavit: *τοῦτον τὸν λόγον Ῥωμαῖοι καταιδεσθέντες ἀνέστρεψαν· καὶ προθύμως ἐμβαλόντες ἐτρέψαντο τοὺς πολεμίους* 2). Hostibus repulsis Sulla suos collaudatos reduxit cibisque refectos ad opus reverti iussit. Iterum pugnatum est, donec Romani victoriam reportaverunt. Hostium circiter XV milia ceciderunt, quorum X milia equites fuerunt, in his Archelai privignus Diogenes, qui fortiter pugnans occisus est. Caeteri intra vallum repulsi acerbam noctem ob funera et vulnera transegerunt. Sulla toto campo nocturnas stationes disposuerat, ne Archelaus Chalcidem effugere posset. Postridie hostes circumvallare instituit, qui intra vallum se continentes in conspectum Romanorum prodire non audebant 3). Itaque Sulla castra adoriri consilium cepit, quae, cum barbari aliquamdiu fortiter restitissent, vi capta sunt. Sanguine interfectorum paludes inundarunt et stagna cadaveribus oppleta sunt, ut totus ferme exercitus exstingueretur et perpauci, inter quos Archelaus, qui in paludem sese abdiderat, Chalcidem effugerent. Etiam Plutarchi temporibus, annis prope ducentis post eam pugnam, barbarorum arcus, galeae, gladii, loricarum ferrearum fragmenta, coeno immersa, reperiebantur 4).

Deinde Sulla Boeotiam continuis defectionibus nutantem diripuit, quo facto in Thessaliam hiematum concessit (86).

Alterum vero periculum, quod ei a Val. Flacco intentabatur, iam depulsum erat. Cum enim pars copiarum, antequam

---

1) App. B. M. 49. Amm. Marc. XVI. 12. Polyaen. VIII. 9. Front. l. l.

2) Polyaen. l. l.

3) Secundum Plutarchum Sulla magnam hostium partem ad certamen progressam fugavit.

4) App. B. M. 50. Oros. VI. 2.

ad Orchomenum pugnatum est, in Thessaliam praemissa, statim ad Sullam defecisset 1), reliqui C. Flavio Fimbria legato auctore in Asiam profecti sunt: ibi imperatore e medio sublato legatus, homo ultimae audaciae, imperium nactus est.

CAPUT XXII.

Quo nuntio Romam allato L. Corn. Cinna Papirium Carbonem sibi collegam adoptavit. Hi pessima exempla in clarissimos viros ediderunt, ut complures urbe relicta in Sullae castra tamquam in portum confugerent et brevi tempore species senatus apud eum esset (85). Auctorem nostrum verbo secutus est Dio Cassius 2): Ὅτι Κίννα καὶ Κάρβωνος ἐν Ῥώμῃ τοῖς ἐπιφανεστάτοις ἀνδράσι χρωμένων παρανόμως καὶ βιαίως πολλοὶ τὴν τυραννίδα φεύγοντες ὥσπερ ἐπὶ λιμένα τὸ τοῦ Σύλλα στρατόπεδον κατεφέροντο καὶ περὶ αὐτὸν ὀλίγου χρόνου σχῆμα βουλῆς ἐγένετο. Idem testatur Vell. Pat. II. 23: „Dominante in Italia Cinna, maior pars nobilitatis ad Sullam „in Achaiam ac deinde post in Asiam perfugit" 3). In numero eorum qui aufugerunt fuit etiam Metella μόλις διακλέψασα ἑαυτὴν καὶ τοὺς παῖδας, 4), quae ei nuntiavit domum et villas eius ab adversariis incensas simulque oravit atque obsecravit, ut suis in Urbe opitularetur. Eundem amici iterum atque iterum rogasse videntur, ut Graecia hostibus erepta regiisque copiis in Europa deletis et exstinctis, periclitanti, immo iam fere perditae

1) App. B. M. 51. Liv. Ep. 82.

2) Fragm. Peir. CXXVI.

3) Liv. Ep. 83. App. B. C. I. 77. Oros. V. 20. Eutr. V. 7. Zonar. X. 1.

4) App. l. l.

patriae opem ferret 1). Cum iactatione autem respondit ante frangendum hostem quam ulciscendum civem. Ita quidem Vell. II. 23, qui eum ob hanc rem laudibus extollit: „Vix quicquam in Sullae operibus clarius duxerim „quam quod cum per triennium Cinnanae Marianaeque „partes Italiam obsiderent, neque inlaturum se bellum iis „dissimulavit, nec quod erat in manibus omisit, existimavitque „ante frangendum hostem quam ulciscendum civem repulsoque „externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret „quod erat domesticum." Plutarchus vero docet eum dubium haesisse, miserando Urbis statu motum, simul bellum susceptum omittere nolentem: itaque non ea constantia fuisse videtur, neque tam firmo animo rem respuisse. In Italiam reverti prohibuit forsitan metus, ne milites signa ferre recusarent, quippe qui post tot exactos labores tandem aliquando loca amoena Asiae obire praedaque promissa frui cuperent. Eo lubentius Archelao colloquium petenti aurem praebuit: huic enim rex secum reputans, quantas brevi tempore iacturas fecisset, simulque a Fimbria pressus, mandaverat, ut quam honestissimis condicionibus pacem cum Romanis faceret. Sulla autem pacis appetens erat 2) non solum, quia in magnis versabatur difficultatibus, sed etiam quia exercitu integro et intacto ad bellum Italicum uti cupiebat. In mari igitur circa Delium cum Archelao congressus est, qui orationem exorsus flagitavit, ut expeditione in Asiam missa facta ad bellum civile proficisceretur, ad quod conficiendum quantasvis copias et naves et pecuniam a rege acciperet. Paulo aliter rem narrat App. B. M. l. l. qui Archelaum his verbis inducit: *Φίλος ὢν ὑμῖν πατρῷος, ὦ Σύλλα, Μιθριδάτης ὁ βασιλεὺς ἐπολέμησε μὲν διὰ στρατηγῶν ἑτέρων πλεονεξίαν· διαλύσεται δὲ διὰ τὴν σὴν ἀρετὴν ἣν τὰ*

---

1) Oros. l. l.
2) App. B. M. 54.

δίκαια προστάτης. Excipiens Sulla eum ad proditionem exhortatus est — ita Plutarchus — praemiumque regiam dignitatem et amicitiam populi Romani proposuit, si classem regis sibi tradidisset. Etiam hoc responsum, quod strictim auctor noster refert, copiosius ab Appiano traditur, cuius huc summa redit: Regem, si iniusta passus esset, legatos qui de iniuriis quererentur mittere oportuisse, non vero alienas terras invadere, magnam virorum multitudinem occidere, publicas sacrasque pecunias diripere et possessiones privatas interfectorum usurpare. Deinde saevitiam commemorat, qua in suos licet nihil hostile ausos odiumque, quo in populum Romanum grassatus est, cum quidquid Italici generis hominum in Asia fuit, cum tota familia, ne libertinis quidem exceptis, omni cruciatu et ignominia deleverit. Tum porro ait ei non ante memoriam amicitiae populi Romani subiisse quam tot milia suorum a Romanis caesa fuerint. Haud iniquum igitur esse eum implacabili odio persequi: sese autem hoc Archelao dare, ut veniam a populo Romano impetret, si revera ille resipiscat: sin minus, sese Archelaum hortari et monere ne sibi ipse desit, ut memor sit quomodo ille suos amicos remuneret, Romani contra se erga Eumenem et Massinissam gesserint. Archelaus autem, adhuc loquentis abrupta oratione: „Proditorem" inquit, „Sulla, Archelaum non habe„bis: amicum habebis si aequis legibus pacem cum Mithri„date feceris." Eo itaque a proditione abhorrente, Sulla his verbis usus esse a Plutarcho traditur: „Quid", inquit, „Ar„chelae, tu qui Cappadox es et regis barbari servus aut, si „mavis, amicus, tantis praemiis turpe quidquam admittere „recusas. Apud me vero, imperatorem Romanum et Sullam, „de proditione verba facere audes? quasi non ille sis Ar„chelaus, qui Chaeronea cum paucis ex centum et viginti „milibus armatorum fugisti teque per triduum in Orchome„niorum paludibus abscondidisti, Boeotia prae multitudine

„cadaverum invia relicta". Tunc immutatus Archelaus supplex oravit, ut bello desisteret et cum Mithridate pacem faceret. Tandem ita inter eos convenit: Mithridates Asia et Paphlagonia abstinebit et Nicomedi Bithyniam, Cappadociam Ariobarzani cedet; Romanis duo milia talentum numerabit et septuaginta naves rostratas cum omni armamento, duces et legatos captivosque omnes cum transfugis et servis fugitivis tradet, Chios et quoscumque e patria in Pontum abduxerit civitatibus suis reddet, praesidia, nisi quibus locis ante pacem violatam tenuit, deducet. Sulla contra ei paternum imperium confirmabit et socium amicumque populi Romani appellabit 1). „Hisce condicionibus" inquit Sulla, „spero me impetraturum, ut populus Romanus „praeteritam iniuriam obliviscatur". Quibus auditis Archelaus statim praesidia omnibus locis deduxit et de caeteris condicionibus ad regem scripsit.

CAPUT XXIII.

Sulla dum responsum a rege exspectat, Thracibus, qui continuo Macedoniam incursabant, bellum intulit, ut milites exerceret simulque ditaret (85). Eutropius V. 7. gentes nominatim memorat: „Interim eo tempore Sulla etiam Dar-„danos, Scordiscos, Dalmatos et Maedos partim vicit, alios „in fidem accepit." 2) Minus recte igitur Plutarchus: *τούτων ὁμολογηθέντων ἀναστρέψας ἐβάδιζε διὰ Θετταλίας καὶ Μακεδονίας ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον* (cf. infra). Honorifice secum Archelaum habuit, ut eum in urbe Larissa in morbum implicatum, diligenter curaret, quasi legatus vel collega esset.

---

1) App. B. M. 55. B. C. I. 74. Liv. Ep. 83. Hunc locum perscripsit Dio Cassius Fragm. Ursin. 173.

2) Liv. l. l.

1) Inde suspicio orta est haud bona fide ad Chaeroneam pugnatum esse. Insuper huic criminationi causam dedit, quod ille acceptis decem milibus (?) iugerum agri Euboici, amicus populi Romani appellatus est. Sulla sese hoc crimine in Commentariis purgat. Utrum verum an falsum sit, non constat.

Cum Mithridatis legati in urbe Philippis 2) ad eum accessissent, caeteras pacis condiciones a rege probari nuntiantes, exceptis quae de Paphlagonia et de navibus proposuisset, deinde adiecissent 3) eum a Fimbria, altero Romanorum imperatore, aequiores condiciones impetraturum, Sulla paulo commotior: „Quid dicitis?" inquit „Mithrida-„tes Paphlagoniam sibi vindicat et naves tradere recusat? 4). „Cui si manum dextram reliquissem, qua tantam Romano-„rum multitudinem sustulit, se ad pedes mihi proiecturum „arbitrabar? Sed mox ubi in Asiam traiecero, aliis vocibus „utetur: nunc Pergami desidens bellum quod non vidit dis-„penset. Fimbria 5) autem etiam mox poenas dabit." Legatis obmutescentibus Archelaus dextram amplexus lacrimasque fundens Sullam deprecari obtestarique coepit, ut sese ad Mithridatem mitteret: se quibus vellet condicionibus pacem impetraturum; si hoc assequi non potuisset, semet ipsum interemturum.

Deinde Plutarchus narrat Archelao profecto Sullam in

---

1) Etiam hunc locum Dio Cassius ad verbum expressit. cf. Fragm. Urs. 173.

2) Haec urbs non nominatur quidem, sed quoniam Plut. postea narrat Sullam in urbe Philippis Archelaum, cum Mithridatis mandato ex Asia reversum, convenisse, quod secundum App. c. 54 in Thracia factum est, suspicor nostrum errasse et primos hos potius legatos Sullae in Macedonia obviam venisse. (cf. sub finem h. c.)

3) App. B. M. 56.

4) Dio Cass. l. l.

5) App. B. M l. l.

Maedicam regionem Thraciae profectum et agris devastatis in Macedoniam reversum esse. Itaque hoc loco eas expeditiones contra Thracas memorat, quas cum Appiano et Eutropio post colloquium Deliacum posuimus. (cf. supra) Auctor noster temporis rationem non observasse videtur, nam veri simile non est Sullam responso illo accepto quo rex iussa se facturum negabat, tempus trivisse excursionibus, quae nil ad propositum pertinebant. Nonne potius belli ratio poscere videbatur, ut iter in Asiam persequeretur, si regem metu ad pacem compellere vellet? Huc accedebat, quod etiamsi pax cum Mithridate facta esset tamen in Asiam proficisci properandum erat. Fimbria enim indevicto, ipse in Italiam reverti non potuit. Cur igitur in Macedonia remansisset? Magis profecto placent quae Appianus B. M. 56 tradit: Eum legatis dimissis Cypsella per Thraciam profectum esse, postquam Lucullum, qui classem collegerat, Abydum praemisisset atque in urbe Cypsellis 1) Archelaum ex Asia reversum convenisse: inde ad colloquium cum rege profectus est. Σύλλας μὲν οὖν ἀπὸ Κυψέλλων καὶ Μιθριδάτης ἐκ Περγάμου συνῆσαν αὖθις ἐς λόγους. Archelaus autem ei renuntiavit omnia ex animi sententia esse, Mithridatemque enixe colloquium petere.

Rex vero non solum periculo, quod ei a Sulla intentabatur, ad pacem compulsus est, sed etiam Fimbriae metu qui eius copias fugaverat, deinde ipsum ad Pitanem obsedit et profecto cepisset, si Lucullus civilibus discordiis reipublicae curam praetulisset 2).

---

1) Hoc enim ex App. l. l. colligere licet.

2) Oros. VI. 2. Plut. Luc. 3. Vell. II. 28. Liv. Ep. 82. Plin. V. 32. App. B M. 52. Auct. de V. I. 70.

CAPUT XXIV.

Sulla Mithridatesque Dardanum Troadis ad colloquium venerunt (84). Hunc sibi obviam venientem et dextram porrigentem Sulla rogavit, an quibus condicionibus Archelaus pepigisset, bellum poneret. Rege silente Sulla: „Atqui „deprecantis est", inquit, „priore loco dicere, victoribus satis „est tacere." Ubi autem ille excusationem exorsus bellum partim ad Deos referre, partim Romanos ipsos culpare coepit, excipiens Sulla dixit: sese iam antea audiisse, nunc vero coram experiri, Mithridatem disertissimum esse, quem in rebus tam nefariis speciosa oratio non deficiat: deinde facinora eius acerbe exagitavit.

Appianus 1), ut solet, copiosius et Mithridatis et Sullae verba refert: Ille amicitiae erga Romanos tum suae tum patris sui mentione facta, eorum legatos et senatores et duces de iniuriis sibi illatis accusavit, qui Ariobarzanem in Cappadociam reduxissent, Phrygiam sibi eripuissent et Nicomedis violentiae favissent. „Quae omnia", inquit, „fecerunt „impulsi cupiditate pecuniae, quam vel a me vel ab illis „acceperunt. Quod enim vobis, o Romani, maxime vitio „verti potest est avaritia. Bello vero per vestros imperatores „exorto omnia quae lacessitus feci potius necessitati quam „animo meo imputanda sunt."

Sulla autem in hanc sententiam ab Appiano locutus esse traditur: Quamquam non venisset ad disceptandas controversias, se tamen paucis respondere. Criminationibus de iniuriis, quibus Mithridates se affectum dixerat, repulsis omnia facinora commemoravit, quae in Graecos, in Tetrarchas Gallograecorum, potissimum vero in Romanos, Asiam in-

---

1) App. B. M. 56.

colentes, perpetrasset. Exprobrabat ei porro, quod cum defectionem sociorum Italorum audiisset, exercitu in Graeciam misso 1) Macedoniaque ocupata Graecis libertatem ademisset neque ante resipuisset quam ipse Sulla caesis centum sexaginta milibus hominum e regis copiis Graeciae libertatem restituisset. „Maxime autem miror." inquit „quod te „nunc purgare conaris, antea veniam petebas. An cum pro„cul essem me timebas? ubi vero coram vides, me ad iudicium „venisse arbitraris? Eius rei profecto tempus praeteriit, ex „quo bellum nobis intulisti, tibi nos lacessenti restitimus et „donec vires suppetunt, resistemus."

Ea oratione habita Sulla denuo, ita Plutarchus pergit eum rogavit, num quae cum Archelao convenisset faceret? Ubi sese ad omnia parere respondit, Sulla eum salutavit complexusque osculatus est. Deinde Ariobarzanem et Nicomedem ad se arcessitos cum rege conciliavit.

Vell. Pat. II. 23 ea quae de pace facta scripsimus optime in pauca contulit: „Transgressus in Asiam Sulla parentem „ad omnia supplicemque Mithridatem invenit, quem mul„tatum pecunia ac parte navium Asia omnibusque aliis „provinciis quas armis occupaverat decedere coegit, captivos „recepit, in perfugas obnoxiosque animadvertit, paternis i. e. „Ponticis finibus contentum esse iussit" 2).

Gestum est .hoc bellum inde ab anno 87 usque ad 84 quo Cn. Pap. Carbo Cinnaque IV consules erant 3).

Pace facta, Mithridates septuaginta navibus traditis cum sagitariis quingentis in Pontum rediit. Milites vero indignabantur, quod incolumem et praeda onustum in patriam

---

1) Diod. VI. p. 244.

2) Sullam insuper 3000 talenta a rege dono accepisse, ut donum reverteretur false a Memnone ex Heraclea Pontica scriptore traditur.

3) App. B. c. I. 76.

et regnum redire viderent regem illum, qui uno die centum quinquaginta milia Romanorum trucidaverat. Magis autem morsi videntur quod spe praedae bellicae frustrati erant, 1) quod damnum tamen eis mox ex provincia Asia compensatum est, ut postea videbimus.

Sulla advocata contione consilii rationem reddidit allegavitque se simul Fimbriae Mithridatique, si coiissent, substitisse non potuisse 2).

CAPUT XXV.

Quo facto Sulla contra Fimbriam movit, qui ad Thyatira, Lydiae urbem, consederat: exercitum cui contra leges praeesset sibi tradere iussit. Qui vicissim irridens respondit, neque ipsum legitimum imperatorem esse. Tum Sulla eius castra circumvallare coepit 3). Opere instituto crebri ad eum milites transfugere: ubi Fimbria animadvertit animos militum a se alienatos esse, Sullam ut implacabilem timens se ipse in castris interfecit. Ita Plutarchus rem paucis absolvit: Appiano duce, qui partim quoque ab auctore nostro discrepat, copiosius de adolescentis illius morte disseramus, qui fortiter est exsecutus quae pessime ausus erat 4).

Multos suorum ad Sullam transire cognito reliquos in contione orat, ne imperatorem suum deserant. Quibus negantibus se contra cives arma sumpturos tunica scissa singulis ad pedes advolvitur, deinde cum nihil proficit, numero per-

1) Momms. Röm. Gesch. II. 304.

2) Dio Cass. Fragm. Urs. 175 et 176 ubi multa ex hoc capite iisdem verbis traduntur.

3) App. B. M. 59.

4) Vell. II. 24.

fugarum crescente, tribunorum praefectorumque tentoria circumit. Quidquid autem molitur, omnia frustra: neque largiendo, neque minitando milites ad iusiurandum adigere potest. In tantis angustiis ad insidias confugit et Sullam ferro perdere statuit. Itaque servum nummis et spe libertatis subornat, qui specie perfugae ad Sullam interficiendum proficiscitur. Sed insidiatorem timor suus prodidit. Tum milites Sullani ira incensi, vallum circumstantes, eum per ludibrium Athenionem appellabant, quo nomine nuper fugitivus quidam in Sicilia regnum paucorum dierum obtinuerat. Fimbria porro in vallum progressus colloquium cum Sulla exposcit, qui ipse non venit, sed Rutilium legatum mittit, malum omen, cum ei id negaretur, quod hostibus concedi solet. Precanti ut si quid peccasset, adolescentiae suae condonaret, Rutilius respondit: ei licere ex Asia decedere et mare ad proficiscendum patere. Ille autem aliam se viam nosse dixit et Pergamum profectus (non igitur in castris ad Thyatira sibi mortem conscivit, ut Plutarchus vult) in Aesculapii templo se gladio confodit. Cum autem vulnus non letale esset, a servo operam impetravit, qui primo dominum et super domini corpus se ipsum interemit. Sulla interitu eius cognito eum sepeliendum curavit, Cinnam Mariumque se aemulari nolle dictitans, qui plerosque Romae interfectos sepultura privavit 1).

Eius exercitu in fidem recepto in hiberna concessit: deinde res Asiaticas ordinavit ad senatumque omnia perscripsit, hostem se iudicatum esse dissimulans 2).

Graviter quidem in Asiam animadvertit: quinque annorum multam publicam viginti milium talentorum Asiae imposuit, cui recipiendae Lucullus praepositus est, qui sese hominem

---

1) Oros. VI. 2. Auct. de V. I. 70. App. B. M. 59.60. Vell. l. l.
2) App. B. M. 60. B. C. 77.

mitis et mansueti ingenii in hac re praebuit 1). Causa imponendi tributi erat, quod cum civitates a populo Romano libertate donatae variisque beneficiis publice ac privatim auctae fuissent, occasione e bello sociali arrepta Mithridatem adversus Romanos adduxissent eiusque iussu omnes Italos interfecissent 2).

Sulla privatim provinciales vexavit insolentia et vexatione eorum, qui apud quemque deversabantur. Hospes enim iussus erat militi quem tecto receperat tetradrachma quatuor quotidie dare et ei coenam praebere amicisque eius quotquot vocare placeret; porro statutum, ut centurio quinquagenas drachmas in diem acciperet vestemque alteram domesticam, alteram forensem. Eo modo Sulla militum amorem sibi conciliavit, simul vero disciplinam severitatemque minuit. „Exercitum quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, „contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter ha„buerat. Loca amoena voluptaria facile in otio ferocis militum „animos molliverant. Hic primum insuevit exercitus populi „Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata „mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, „sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, post„quam victoriam adepti sunt, nil reliqui victis fecere" 3).

Cum Sulla edixisset, ut quotquot mancipia libertatem a Mithridate accepissent, in herilem potestatem redirent, multi autem hoc edictum contemnerent, passim tum liberorum, tum servorum multum sanguinis fusum.

Civitates quae a rege steterant severe multabantur, praesertim Ephesii qui cum ludibrio donaria Romanorum templis detraxerant. Multarum moenia diruta sunt.

Qui autem missi sunt, ut multam exigerent, contumeliose

1) Luc. 4.
2) App. B. M. 62.
3) Sall. Cat. 11.

urgebant: civitates, inopia pressae, magno foenere pecunias mutuabantur, aliae theatra, aliae gymnasia aut moenia aut portus foenatoribus oppignerabant. Cives privatim filios decoros et filias virgines vendere cogebantur, publice vero donaria, tabulas pictas, statuas Deorum: finis autem ipsis erat, ut addicti creditoribus servirent. Quae antea perpessi erant mala, etiam graviora: fidiculae, ergastula, eculei, stare sub dio per aestatem in sole, tempore hiberno in luto vel glacie, ut servitus onerum levamen et pax quaedam videretur. Insuper eodem tempore Asiae a piratis maxima incommoda inferebantur.

Nonnullas civitates ut Ilienses, Chios, Rhodios Sulla multis beneficiis consolatus libertate donavit eosque populi Romani socios et amicos appellavit.

Ut supra memoravimus Sulla bello Mithridatico confecto ad senatum litteras misit. Memoratis 1) quae quaestor, legatus, praetor, consul bene gesserat, res nuperrime contra Mithridatem patratas exponebat: pro quibus beneficiis egregiam sibi gratiam ab inimicis relatam esse, cum sese hostem patriae iudicassent, domum suam subvertissent, in suos crudeliter saevissent. Sed confestim venturum cum privatas iniurias tum publicas ultum atque poenas ab auctoribus repetitum; caeterorum vero civium vel veterum vel novorum incusaturum neminem 2).

Quibus literis in curia perlectis, effectum est per Val. Flaccum, ut senatus de pace ac concordia concinnanda 3) legatos ad Sullam mitteret: si quid fide publica sibi caveri vellet, id curae fore senatui, modo quam primum voluntatem suam significaret. Interim Cinna et Carbo consules

---

1) App. B. C. 77. seqq.

2) Cum persuasum haberet rem ad arma venturam, hoc addidit veritus, ne novi cives cum adversariis facerent.

3) Liv. Ep. 83.

iussi sunt delectibus desistere, dum responsum a Sulla esset redditum: hi autem, quia bellum utilius videbatur obstantes ne res conveniret, dicto audientes non fuerunt bellumque in Graeciam transferre parabant. Sed Cinna cum milites invitos naves conscendere cogeret, interfectus est (84).

Interim Sulla legationi ad se missae responderat se in senatus potestate futurum, si cives qui a Cinna pulsi ad se confugissent restituerentur: nihil autem opus esse, ut ipsi senatus securitatem caveret; se potius populum et senatum tutum praestare posse, cum sibi faventem exercitum haberet. Ex quo dicto satis apparet eum de dimittendo exercitu numquam cogitasse. De suis nonnullos cum senatus legatis misit qui de pace agerent: ubi Brundusii audierunt Cinnam, qui Sullae in Graecia cum exercitu occursurus erat, a militibus suis interfectum esse *καὶ τὴν πόλιν ἀδιοίκητον εἶναι* re infecta reversi sunt 1).

CAPUT XXVI.

Initio anni 83 Epheso profectus tertio die Piraeum appulit. Deinde sacris mysteriis Cereris initiatus Apelliconis Teii bibliothecam abstulit 2), in qua plerique Aristotelis et Theophrasti erant libri, nondum satis tunc temporis noti. Cuius rei haec erat causa, quod Theophrastus, qui Aristotelis bibliothecam hereditate acceperat, Neleo Scepsiensi

---

1) App. l. l.

2) Fuit hic Apellicon philosophus Peripateticus Athenioni perquam familiaris. Athen. V. 13. Paulo ante Sullae adventum Apellicon mortuus est, Strab. XIII. qui eum magis tamen φιλόβιβλον quam φιλόσοφον esse affirmat.

hanc cum sua testamento legaverat, qui hos libros posteris suis reliquit. Qui cum intellegerent Attalicorum regum studium, libros ad instruendam Pergami bibliothecam conquirentium, libros suos sub terra in fossa quadam occultaverunt, ubi a blattis et humore vitiati sunt; tandem qui ex ea stirpe erant, Aristotelis et Theophrasti libros Apelliconi Teio magno vendiderunt 1).

Cum autem pedibus laboraret, aliquamdiu Aedepsi, in oppido Boeotiae commoratus est aquis calidis usurus, ubi ferians cum histrionibus tempus traduxit. Caetera quae Plutarchus hoc capite refert minoris sunt momenti.

CAPUT XXVII.

Auctor narrat Sullam per Thessaliam et Macedoniam ad mare profectum cum mille et ducentis navibus Dyrrhachio in Brundisii portum traicere parasse. A quo dissentit Appianus B. C. 79, qui tradit eum Patris, quod oppidum ad Achaiam pertinebat, profectum in Italiam traiecisse. Plutarchum vero errare mihi persuaderi non potest, eo magis quod ad Sullam Apolloniae versantem, quae urbs haud procul a Dyrrhachio sita erat, satyrum esse adductum memoriae prodit, in quibus nugis narrandis summa dignus est fide. Navibus igitur Dyrrhachium praemissis ipse eodem profectus est, delectu in Thessalia atque Maccdonia habito: hoc enim Appianus l. l. etiam indicat: *ἄλλους τέ τινας ἐκ Πελοποννήσου καὶ Μακεδονίας προςλαβών*. Quas vero copias e Peloponneso arcessivit Patris in naves impositae videntur atque inde forsitan Appiani natus est error. Neque in navium numero ille cum auctore nostro consentit, cum alter eas mille sexcentas numero fuisse existimet.

---

1) Strabo XIII. p. 906. Caetera librorum fata Plut. narrat.

Cum milites traiecturus vereretur, ne ubi patrium solum adspexissent, per oppida dilaberentur, hi ultro adiuraverunt sese ad signa mansuros atque ab iniuria et maleficiis temperaturos. Etsi moribus Romanis non alienum est, milites sese ultro iureiurando adstringere, vix tamen credi potest homines omnibus vitiis Asiaticis imbutos ea modestia, severitate et disciplina usos esse. Forsitan imperator ipse eos sacramento adegit, sed cum felicissimi omnium mortalium speciem prae se ferret, fortunae tribuit quod ipsius iussu factum videtur. Insuper eum pecunia indigere rati pro suis quisque facultatibus obtulerunt, quam munificentiam tamen non admisit.

Ineunte vere igitur copias ad triginta vel quadraginta milium numero 1) Brundusii exposuit, bellum gesturus, ut ipse ait, contra quindecim adversariorum duces, qui cohortes quinquaginta et quadringentas habebant. 2) Quod factum est L. Corn. Scipione C. Junio Norbano coss. (83).

Quod ad hostium numerum attinet, rem non in falsum auxisse Sulla videtur, cum Vell. II. 24 et Florus III. 21 numerum non longe minorem habeant. Non autem, ut opinor, eae copiae Sulla in Italiam appellente iam sub armis erant, quod etiam ex Appiano l. l. deduci licet scribente binos consules Carbonemque primum ducentas cohortes quingenarias habuisse, quibus postea plures accesserint.

Inter quindecim illos duces memorandi sunt praeter consules, Caius Marius filius, Cn. Papirius Carbo, Sertorius, L. Pontius Telesinus.

Qui autem factum est, ut Sulla rem gerens cum tantis copiis, non barbaris iis gregibus, sed Romanis legionibus victor proelio discesserit? Profecto imperatoris virtus hic

---

1) Plut. nil de hac re habet.

2) Efficiebant hae cohortes numerum amplius ducentorum milium armatorum.

plurimum valebat, neque mihi in animo est eius gloriae bellicae obtrectare. Nam Sullae nequitiam, libidinem, luxuriam, crudelitatem, artem simulandi et dissimulandi exprobrantes, non infitias ibimus eum virtute animi et ingenio excellere, imprimis autem arte bellica florere.

Bello Italico victoria Sullanorum maxime mihi adversariorum imperitiae, simultati et discordiae tribuenda videtur: nemo enim eorum praeter Sertorium virtute bellica valebat: deinde unusquisque suo nomine, rationibus belli gerendi non communicatis, rem gerebat eo consilio, ut laudes bellicae in se unum redundarent ita ut facile singuli vinci et atteri possent. Adde alios causa populari prodita ad eum defecisse, alios ex optimatibus haud parvis copiis eius vires auxisse, inter quos Q. Caecilium Metellum Pium, M. Lic. Crassum, Cn. Pompeium, P. Servilium Isauricum, C. Verrem nominasse satis erit.

Postquam ei apud Tarentum Deus frustra protendit 1) — auctor rem more solito diligenter perscripsit — in hostes profectus est Brundisinis, quod venientem prompte excepissent, immunitate concessa: „putares eum venisse . . . non belli „vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum „per Calabriam Apuliamque cum singulari cura frugum, „agrorum, hominum, urbium perduxit in Campaniam" 2). Quod autem iter in hanc regionem ei patebat, argumento est adversariorum ducibus virtutem et industriam defuisse, cum imprimis hoc agendum esset, ut aditu per montes Apenninos prohiberetur.

Unus Appianus 3) narrat, sed falso, primam pugnam ad Canusium, quod erat Apuliae oppidum, commissam esse caeteris auctoribus cum Plutarcho consentientibus. 4)

1) Aug. de Civ. Dei. II. 24.

2) Vell. Pat. II. 24.

3) B. C. I. 84.

4) Flor. III. 21. Vell. Pat. II. 25. Oros. V. 20. Eutrop. V. 5.

Ab omni iniuria autem temperavit, ne populi Italici cum adversariis facerent, immo ne timeretur velut erepturus civitatis et suffragii ius nuper datum (85) 1) foedus cum iis percussit. Inde alii post alios ad eum defecerunt, ita ut anno post Samnites et Lucani soli ab adversariis starent.

Praeterea ei exercitus in dies crescebat confluentibus ad eum „optimo quoque et sanissimo" 2): ita Q. Metellus se ex Liguriae latebris cum eo coniunxit: nec multo post Cn. Pompeius cum tribus legionibus in Piceno conscriptis supervenit, trium et viginti annorum adulescens, cuius virtuti et subsidio plurima debebat 3). Tandem M. Crassus ex Africa viginti quinque milia hominum ad eum perduxit.

Jam Plutarchi vestigia sequamur: Sulla ad montem Tifatam, qui Capuae imminet, magnas Norbani consulis et Marii copias fudit, in quo proelio milites eius tanta cum alacritate pugnaverunt, ut neque aciem instruendi neque copias ordine componendi tempus daretur. Cuius ardoris haec causa fuisse videtur, quod missi legati qui de pace agerent a consule violati essent 4). „Tentavit „enim iustis legibus et aequis condicionibus," ut Vell. l. l. opinatur, „bellum componere, sed iis quibus et pessima et „immodica cupiditas erat, non poterat pax placere." Quae verba mihi valde displicent: Sulla enim ipse non ignorabat res in eum locum esse adductas, ut de pace componenda cogitari non posset: immo, ut ex Appiano constat 5), iam olim nunquam de pace, sed de dominatione cogitavit. Acerbissimum porro eius odium erat in Marianos, qui clarissimos

---

1) Liv. Ep. 84. Novis civibus Senatusconsulto suffragium datum est.

2) Vell. II. 25.

3) Cicero pro lege Man. 11. 30. Phil. 5. 16. 44.

4) Liv. Ep. 85.

5) B. C. 79.

viros, optime de patria meritos, exterarum gentium victores, crudeliter trucidaverant, qui per quinque dies noctesque in consules et amicos eius omnia scelera et flagitia fecerant (85): ipse etiam persuasum habebat eos sibi vicissim implacabiles esse.

Legatos vero misit, ne auctor belli videretur militumque animos incenderet: vel etiam sperabat sese Norbanum capturum, ut postea Scipionem circumvenit.

Sed ad pugnam revertamur. Sulla victor exstitit et septem milibus hominum ex hostibus occisis Norbanum Capuae inclusit. Si Appiano B. C. 82 credimus, sex milia ab exercitu consulis ceciderunt, cum quo convenit Eutropius V. 7. qui addit sex milia esse capta. Orosius contra cum Plutarcho in numero occisorum consentit (V. 20). Auctor noster non refert, quot Sulla amiserit. Eutropius et Orosius l. l. nos docent eum tantum centum viginti quatuor suorum desiderasse. Appianus l. l. numerum etiam minorem ponit scribens septuaginta occisos esse, magnum vero numerum fuisse eorum qui vulnerabantur.

Post victoriam Sulla gratis Dianae cuius numini regio illa sacrata est solvit, aquas salubritate (in) medendisque corporibus nobiles agrosque omnes addixit Deae 1).

Cum ultro progressus Silvium, in Apuliae oppidum pervenisset, servus fanaticus, ut Sulla ipse narrat, ei a Bellona belli victoriam enuntiavit addiditque εἰ δὲ μὴ σπεύσειεν, ἐμπεπρήσεσθαι 2) τὸ Καπιτώλιον quod evenit eodem quem ille praedixerat die, qui fuit pridie Nonas Quinctiles. Eamdem rem narrat Aug. de Civ. Dei II. 24 his verbis: „Servus cuiusdam „Lucii Pontii vaticinando clamavit: a Bellona nuntius venio,

1) Vell. II. 25.

2) Ita legendum esse pro ἐμπεπρῆσθαι ante hos multos annos praeclari viri, maximum in criticis nomen habentes, ostenderunt. cf. V. Cl. C. G. Cobet Nov. Lect. 245. Certissimam hanc emendationem Sintenis tamen sprevit.

„victoria tua est, Sulla. Deinde adiecit arsurum esse Capi-„tolium. Hoc cum dixisset continuo egressus e castris „postero die citatior reversus est et Capitolium arsisse „clamavit. Arserat autem revera Capitolium" 1). Quod cum malum omen consulibus esse crederetur, difficile dictu est quantopere tali re militum animi excitati sint.

In extremo capite auctor rerum ordinem turbat, cum proelium ad Fidentiam, quod in annum sequentem incidit, post rem cum Norbano gestam referat. Quae capite sequenti leguntur maximam partem ante hoc proelium facta sunt.

CAPUT XXVIII.

Sulla, cum se magnis copiis circumfusum intellexisset, magis dolo quam virtute contendendum existimavit. Idcirco alterum consulem Scipionem ad pacem invitavit, non quia hanc sincere vellet, sed quo adversariorum exercitum corrumperet. Cum iam illo non recusante congressus et colloquia crebra fierent, semper procrastinationis et morae causas interseruit, dum milites, ut ipse dux ad fraudes dolumque compositi, hostium castra ingressi, alios largiendo, alios pollicendo et blandiendo in suas partes trahunt. Cum his satis conveniunt quae apud Appianum B. C. I. 85 leguntur, qui nos praeterea docet Scipionis milites eo facilius corrumpi potuisse, quia animis abiectis pacis cupientissimi erant.

Exercitus vero transitionem auctor noster nimis strictim hisce verbis narrat: Sullam cum viginti cohortibus accedentem Scipionis milites salutaverunt et sese cum eo coniunxerunt. Appianus l. l. paulo aliter multoque copiosius

---

1) App. B. C. 83. 86. Dionys. Hal. IV. 61. 62. Cic. Verr. 4. 31. Plin. H. N. 35. 5. Obseq. 118. Tacitus. Hist. III. 72. Annal. VI. 12.

rem refert. Scipio obsidibus acceptis in colloquium inter Cales et Teanum prodierat et de auctoritate senatus de suffragiis populi et de iure civitatis egit [1]. Nil autem certi de ea re statui potest, quia terni tantum locuti sunt, ut quid dictum sit in vulgus non emanaverit. Deinde Scipio Sertorium Capuam misit, ut cum collega suo pacis condiciones communicaret. Is vero Sullae dolo perspecto, cum Scipionem frustra admonuisset, in itinere Suessam occupavit, quae a Sullanis tenebatur. Tunc Sulla cum Scipione expostulavit, qui sive rei conscius sive incertus quid responderet, statim obsides reddidit, exercitus vero pace desperata clam cum Sulla de transitione agere coepit et cum is propius accessisset, quasi castra oppugnaturus [2], statim signa transtulerunt. Ita, ut Eutropii verbis utar [3], Sulla ante proelium totum eius exercitum sine sanguine in deditionem accepit. Scipio cum filio in tabernaculis captus dimissus est: quam temperantiam Vell. II. 25 laudibus praedicat: „Adeo Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut „dum vincit iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit „crudelior." Equidem ei non assentior et mansuetudinem potius calliditatem appellandam esse censeo. Scipio enim homo erat mediocris ingenii, a quo nihil ei periculi erat: sin consulis sanguine manus foedasset, Romanos Italosque exacerbasset. Iure eum Plutarchus habet: *Φύσει μὲν ὀργὴν χαλεπὸν ὄντα καὶ τιμωρητικόν, ὑφιέμενον δὲ τῆς πικρίας λογισμῷ πρὸς τὸ συμφέρον.*

Carbo id temporis de eo dixisse fertur sese cum vulpe et leone, in Sullae animo habitantibus, bellum gerentem, a vulpe maiore damno affici. Livius parum memor huius

---

1) Cic. Phil. XII. 11 huius rei auctor est.
2) Liv. Ep. 85.
3) V. 7.

ingenii 1) existimat (Ep. 85) eum sincere pacem concupisse. Iam supra ostendimus eum nunquam de pace cogitasse. Nullus porro tolerabilis status civitatis futurus fuisset, cum res in eum locum venisse viderentur ut ferro, non pacto dirimendae essent.

Haec habebam quae de primo anno belli civilis (83) scriberem: reliquum aestatis utrimque absumptum est in delectibus habendis. 2)

Plutarchus narrationem rerum gestarum persequitur, lectore non monito eas in secundum incidere annum. Caeterum, ut temporis rationem rerumque ordinem observemus aliorum auxilio nobis opus est.

Anno 82 Papirio Carbone, C. Mario, Caii filio, coss. Sulla bellum contra Marium in Latio gessit, dum a Metello, Pompeio, Lucullo legatis in Umbria, Etruria atque Gallia in alterum consulem pugnatur. Cum consules pecuniae inopia laborantes in timore versarentur, ne milites stipendiis deficientibus ad Sullam transfugerent, senatus consulto aurea atque argentea templorum ornamenta conflata sunt.

Ubi Sulla Setiam in Volscis expugnavit, 3) Marius, qui non procul inde consederat, cum octaginta quinque cohortibus ad Sacriportum successit. Sulla ad pugnandum alacer erat, quia proxima nocte per quietem Marium senem viderat filium monentem, ut insequentem diem caveret, tamquam ingentem calamitatem allaturum. Defessis vero militibus primum pugnam proferre in animo habebat, sed Mario invecto, ut eum a fossa pro castris ducenda prohiberet, milites ira incitati manus cum hostibus conseruerunt. Non diu pugnatum est: nam Mariani mox inclinavere et fuga

1) Cic. Phil. XIII. 1. 2.
2) Val. Max. VII. 6. 4. Plin. XXXIII. 5. 1. et 6. 1.
3) App. B. C. I. 87.

aperta facta est, cum quinque cohortes et duae alae 1) signis proiectis ad hostem profugerunt. Tum ingens strages edita est: Sulla ipse refert viginti milia hostium cecidisse, octo capta esse, suorum tres et viginti desideratos. 2) Itaque idem hic numen fautorem habuit!

Fugientes Praeneste suscepit inter quos Marius, qui portis clausis ne una cum ingenti perturbatorum copia hostes irrumperent, fune demisso in urbem subductus est.

Fenestella, quo se hic usum esse Plutarchus affirmat, memoriae prodit Marium ne vidisse quidem proelium et signo pugnandi dato quieti se tradidisse, ex qua aegre excitatus sit, cum sui se iam fugae mandarent. 3) Quod inter senilia referendum censeo, nemo enim, ni fallor, talibus, quae omnino non in fortissimum et acerrimum iuvenem quadrant, fidem habebit.

Sulla Marium intra Praenestinorum moenia interclusum e longinquo circumvallare instituit plus a fame quam a vi exspectans. 4) Mox autem cum Romam recipere cuperet, Praenestis oppugnationi Lucretium Ofellam praefecit, qui cum ante Marianarum fuisset partium, proditor ad eum transfugerat. Interim Marius desperatis rebus L. Bruto Damasippo, qui praetor urbanus erat, mandaverat, ut nobilitatis principes in curia trucidaret. Senatu convocato foeda facta est caedes clarissimorum virorum, inter quos fuere P. Antistius Aedilis, Pompei socer, cuius uxor Calpurnia, Bestiae filia, viri calamitate audita gladio se ipsa transfixit; C. Papirius Carbo, qui praetor fuit ann. 84, Lucius Domitius,

---

1) App. l. l.

2) Oros. V. 20. Eutr. V. 8. Auct. de V. I. in Mar. fil. Vell. II. 26. Liv. Ep. 87. Flor. III. 21. Eutrop. l. l. refert Sullam 400 Marium 20.000 hominum amisisse; Oros. l. l. 25.000 Marianorum caesa fuisse scribit.

3) Auct. de V. I. 68.

4) App. B. C. I. 88. Liv. Ep. 87. Vell. II. 27. Oros. V. 21.

vir consularis, Q. Mucius Scaevola, pontifex maximus et divini humanique iuris auctor celeberrimus. Edixit praeterea ne quis corpora sepeliret, quae deinde unco tracta atque in Tiberim missa sunt. Sulla appropinquante Urbem reliquit.

Hic nullo repugnante Romam ingressus est, fuga iam dilapsis quicumque adversae erant factionis: eorum bona publicavit et sub hasta vendidit. Populo in contionem convocato necessitatem praesentem miseratus eos bono esse animo iussit tamquam propediem belli civilis calamitatibus finem facturus et reipublicae statum ordinaturus.

Quae in Etruria et superiore Italiae parte gesta sunt nimis breviter auctor expedit scribens: „Pari fortuna eius „legati Pompeius, Crassus, Metellus, Lucullus, Servilius usi, „cum nihil vel parum titubarent, magnas hostium copias „fuderunt." Quam neglegentiam eo magis miror, quia Sulla etiam hic super caeteros duces excelluit: nam etsi noster non *ἱστορίας* scribit, *ἀλλὰ βίους*, 1) non plane tamen rebus bellicis supersedere solet.

Jam nos accingamus ad ea copiosius narranda: passim autem magis divinare quam pro certo statuere licet, quia non disertis testimoniis totius belli ratio expóni potest.

Metellus a Sulla in Galliam missus contra Carbonem rem gerebat, qui praesertim in Gallia Circumpadana delectum habuerat. Ineunte vere cum Carrinate, Carbonis legato, ad Aesin, quod flumen Senones ab agro Piceno dividebat, proelium commisit eumque profligavit. Non multo post Carbo insecutus eum urgebat et obsidebat *ἔστε Μάριον μεγάλῃ μάχῃ περὶ Πραινεστὸν ἡττῆσθαι πυθόμενος ἀνεστρατοπέδευεν εἰς Ἀρίμινον* 2). Miror autem, quare copias suas reduxerit: nam Marii clades, ut Appianus tradit, eius rei causa non esse videtur. Forsitan

---

1) Alex. c. 1.

2) App. B. C. I. 87.

Pompeius cum equitatu auxilio venit Metellumque obsidione liberavit, ut ex iis quae apud Appianum sequuntur conicio: Καὶ τοῦδε μὲν (Carbonis) Πομπήϊος τῆς οὐραγίας ἐξαπτόμενος ἠνώχλει. Eodem tempore et eadem occasione Metellus denuo Carbonis copiarum parti cladem attulit et non multo post Pompeius Marcium legatum ad Senam Gallicam devicit quam urbem diripuit 1).

Cum Sulla interim instantibus peractis et amicorum quibusdam Urbi praefectis, in Etruriam profectus esset 2), Carbo eodem contendit et ad Clusium consedit. Primo congressus est Sulla ad fluvium Clanim cum Hispanorum Celtiberorum alis, quas tunc temporis praetores consulibus auxilio miserant; hostium circiter quinquaginta occidit, ducenti ad eum transgressi sunt. Eodem tempore altera pars eius exercitus hostes proelio ad Saturniam vicit: ex quo confici potest eum copiis bipartito divisis duobus itineribus Etruriam ingressum esse. Tandem ad Clusium cum Carbone manus conseruit: ab oriente die usque ad occidentem pugnatum est, donec neutro inclinante victoria tenebris diremti sunt. Deinde ex adverso castra posuisse videntur, neutro ad pugnam lacessente.

Non multo post Carboniani semel et iterum mala fortuna usi sunt: nam quas copias consul ? in Spoletinum agrum misit, ut Carrinatem, cuius castra Pompeius et Crassus circumsedebant, obsidione liberarent, Sulla per insidias fudit et ad duo milia interemit: Carrinas quidem noctu evasit. Deinde ubi Carbo comperit Marium fame premi, Marcium cum octo legionibus Praeneste auxilio misit, quae angustis locis a Pompeio exceptae, in fugam coniectae dispersaeque sunt, ut non plus septem cohortes cum Marcio ad Clusium redirent.

---

1) Plut. Pomp. c. 8.

2) App. B. C. I. 89 seqq.

Ut postea videbimus, Sulla audito Lucium Pontium, qui Samnitibus praeerat, Praeneste contendere Marium obsidione exemturum, ex Etruriae castris discessit. Antequam vero hoc conatum, quod in pugnam ad Portam Collinam exiit, narrabimus, paucis de Carbone absolvemus.

Quid igitur Carbo, Sulla in Latium profecto? Quidni hunc contra Pontium castra moventem insecutus itinere prohibere contendit? Hoc enim belli ratio poscere videbatur. Eius rei causam esse suspicor, quod Metellus Ravennam navibus circumvectus Uritanam regionem, agrum planum frumentique plenum, occupasset atque Norbanum in Gallia Cispadana agentem urgeret. Cui ut subveniret Carbo in Galliam profectus videtur. Cum Norbano coniunctis castris sub vesperum vix una hora diei reliqua apud Faventiam in Metellum signa intulerunt: quod magis ira quam consilio factum esse dicunt, praesertim quod densa vineta locum pugnandi arctabant. Temporis locique incommodo victi tantam cladem acceperunt, ut totius exercitus mille uni servatis ordinibus in Etruriam Arretium se reciperent. 1)

Qua clade audita legio Lucanorum, quam P. Albinovanus ducebat, frustra indignante duce ad Metellum defecit. Albinovanus tunc quidem ad Norbanum rediit, sed non multo post cum Sulla egit et venia impetrata, si quid memorabile patrasset, Norbanum cum omnibus Carbonis legatis ad convivium invitavit; qui cum uno Norbano excepto convenissent, omnes inter epulas trucidati sunt: deinde ad Sullam perfugit. Quo audito simulque nuntiato eiusdem Albinovani 2) proditione Ariminum captum direptumque esse, Norbanus rebus desperatis neminemque mortalium fide dignum habens Rhodum traiecit, ubi cum a Sulla exposceretur, in

---

1) App. B. C. I. 91. Liv. Ep. 88. Oros. V. 20.

2) Cic. Verr. I. 14.

medio foro Rhodiis de eius deditione deliberantibus se ipse transfixit. 1)

Tota deinde Gallia ad Metellum defecit: unus Marcius cum quinquaginta cohortibus restabat, qui M. Lucullum in urbe Placentia obsessum tenebat: hic vero cum sedecim cohortibus eruptione facta pugnavit 2) caesisque milibus octodecim castra quoque vi cepit. De hac pugna etiam Plutarchus, 3) sed loco non debito, ut supra ostendimus. (cap. XXVII.) Idem milites mirum in modum ad pugnam illam omine incitatos esse refert: Lucullo enim cunctante et haesitante clemens ventus ex campo vicino magnam in milites florum copiam coniecit, qui galeis scutisque haerentes coronati ab hostibus exercitus speciem referre visi sunt.

Eae clades Carbonis animum ita deiecerunt, ut licet triginta milia armatorum ad Clusium haberet et tredecim legiones sub Damasippo, Carrinate 4) et Marcio starent, Samnites insuper essent in armis, de rebus desperaret et cum amicis suis in Africam effugeret. 5)

Quem ad Clusium reliquit exercitum Pompeius cum duobus Serviliis 6) dissipavit: reliquas copias Carrinas, Marcius et Damasippus cum Samnitibus coniunxerunt. 7)

CAPUT XXIX.

Tandem pervenimus ad acerrimam illam pugnam ad Portam Collinam. Ut supra verbo monuimus, Samnites Lucio

---

1) Liv. Ep. 89. App. B. C. I. 91.

2) Liv. Ep. 88. App. B. C. I. 92. Oros. V. 20. Vell. II. 28. Ex Livio deduci licet etiam Carbonem huic pugnae interfuisse.

3) Plut. et Liv. pugnam ad Fidentiam ponunt, qui dissensus a vicinitate locorum facile oriri potuit.

4) App. l. l.

5) App. l. l. Liv. l. l. Eutr. V. 8. 6.

6) Vell. l. l.

7) App. B. C. I. 90.

Pontio Telesino duce cum septuaginta milibus armatorum Praeneste contenderunt, quocum M. Lamponius 1) Lucanus et Gutta ex Capua arma consociaverant. Quo audito Sulla Etruria relicta sese eis obiecit et faucibus occupatis, per quas solas erat transitus, hostes ab aditu interclusit. L. Pontius perrumpere frustra conatus est: neque Damasippus cum aliis duabus legionibus a Carbone missus (cf. c. 28) rem perficere potuit, neque tandem Marius quidquam profecit eruptione pugnans, sed complures dies pugnato intra Praeneste repulsus est. Ubi Carbo ex Italia profugit, etiam Carrinas et Marcius coniunctis copiis ad fauces profecti sunt, cum Samnitibus utique eas perrupturi. Cum ne tunc quidem successisset et Sulla a fronte prohibente, Pompeio a tergo instante, neque receptus, neque progressus daretur, Pontius, magnis proeliis inveteratus ille dux, noctu profectus cum toto exercitu 2) Romam castra movit et parum abfuit, quin praesidio orbatam caperet. Cum mille ducentos quinquaginta passus a Porta Collina abesset, ibi castra metatus pernoctavit, magnos gestans spiritus et spe elatus, quod tot et tantos duces astu et sollertia vicisset. „Roma non maius periculum adiit, Hanni-„balis intra tertium miliarium castra conspicata quam eo die, „(Kal. Nov. 82), quo circumvolans ordines exercitus sui „Telesinus dictitansque adesse Romanis ultimum diem voci-„ferabatur eruendam delendamque urbem, adiciens nunquam „defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi silva in quam

1) Errant Flor. III. 21. et Oros. l. l. qui eum Samnitium ducem faciunt.

2) In numero variant scriptores. Eutr. V. 5. septuaginta milia fuisse tradit. Octoginta milia habet Oros. V. 20. Vell. Pat. II. 27 tantummodo quadraginta milia: sed videtur hic Samnitium exercitus fuisse. Cum autem App. tradat Pontii, Lamponii et Guttae copias septuaginta milia numero fuisse, totus exercitus, Carrinatis, Marcii et Damasippi viribus auctus, plus quam octoginta milium fuisse videtur.

„refugere solent, esset excisa" 1). Simul cum luce nobilissimi iuvenes adversus eum vecti complures ceciderunt inter quos Appius Claudius, vir insignis et probus. Urbem ingens trepidatio invaserat: tumultu et mulierum clamoribus personabat, hinc inde discurrebatur, quasi hostes iam intra moenia adessent. Sulla autem propere equites praemiserat, qui hostium agmen morarentur. Primus ab eo cum septingentis equitibus conspectus est Balbus, qui tanto spatio intermisso, ut sudor equorum siccaretur, statim iis iterum infrenatis ad hostes carpendos procurrit. Interim Sulla cum omnibus copiis circa meridiem supervenit. 2) Castris ad Veneris templum positis, qui primi advenerant prandium sumere iussit, deinde aciem instruxit. Dolabella et Torquatus legati multi erant in orando, ne lassatis itinere militibus extremum periculum subiret: ipsi enim non cum Carbone et Mario, sed cum Samnitibus et Lucanis, populis bellicosissimis et nomini Romano infestissimis, rem esse. Sed eos non audivit et signo dato circa decimam horam vel nonam 3) proelium commisit. Atque dextrum cornu, cui Crassus praeerat, praeclaram reportavit victoriam, qui hostes Antemnam usque insecutus est. Sinistro vero cornu laboranti et inclinato Sulla equo albo et pernici insidens auxilio venit. Inde eum agnitum duo ex hostibus hastis petebant. Ipse periculum non advertit, sed equo ab equisone verberato hactenus praeterlatus est, ut secundum caudam equi hastae simul delapsae in terra defigerentur. Tunc dicitur aureum quoddam Apollinis sigillum, e templo Delphico sublatum, quod per pugnas in sinu circumferebat, osculatus esse atque ita dixisse: „O Pythie Apollo, felicemne Cornelium Sullam, „quem ex tantis proeliis magnum et insignem eduxisti, iam

---

1) Vell. Pat. II. 27.

2) App. B. C. 1. 93.

3) Or. l. l. App. l. l. habet περὶ δείλην ἑσπέραν.

„ad patriae portas proicies, ut foedissime cum civibus pereat?" Nam, ut Val. Max. I. 2. 3 refert, quoties proelium committere destinabat, parvum Apollinis signum Delphis sublatum in conspectu militum amplexus orabat, uti promissa maturaret. Impudentem simulatorem! Iam inde res fraudem dolumque redolet, quod coram militibus fiebat. 1)

Deinde nil intentatum reliquit ad cedentes retinendos: alios obsecrare obtestarique, aliis minari, alios manu prehendere: nil proficiebat. In fugientium multitudine ad castra proreptus est, multis amicis familiaribusque amissis. Non pauci eorum qui spectandi causa progressi erant elisi sunt et perierunt, inter quos etiam senatores: nam senes qui in muro stabant, ubi hostes fugientibus immixtos in Urbem incurrere viderunt, claustra demiserant. 2)

Simul Marius paene ab obsidione liberatus est, multis ad Praeneste fuga delatis, qui tamquam Sulla interemto et Roma ab hostibus occupata, Lucretium Ofellam ut recederet monuerunt.

CAPUT XXX.

Interim ad Portam Collinam proelium continuatum est. Plutarchus vero non dilucide pugnae rationem exponit, neque ab Appiano explanatur. Res ita se habuisse videtur: Sullani ad urbem proturbati, cum portae clausae essent, omnem spem salutis in virtute ponendam esse intellegebant atque metu et necessitate coacti retro in hostes se verterunt et aciem restituerunt. Ita ad multam noctem pugna protracta post primam demum horam noctis Romani supe-

---

1) Front. Strat. I. 11. 11.

2) App. l. l.

riores esse coeperunt et per totam noctem proelio continuato hostium castris potiti sunt. Magna tunc edita est strages, imprimis inter Samnites, cum imperator edixisset, ne quis Samnis vivus caperetur. In occisorum numero fuit Telesinus, qui postera die semianimis repertus est 1) victoris magis quam morientis vultum praeferens. Lamponius, Marcius, Carrinas et alii sese fugae mandaverunt. Intempesta iam nocte legati a Crasso missi in Sullae castra pervenerant, qui ei militibusque eius coenam peterent. Fusos enim hostes Antemnam usque persecutus castra ibi posuerat. Sub lucem igitur Sulla eo contendit et proelium redintegravit: cum ibi tria armatorum milia legatos ad eum de pace misissent, eis impunitatis spem dedit, si caeteris hostibus aliquam cladem intulissent. Qui reliquos adorti sunt ita ut Samnites sese mutuo conficerent. Nihilominus et hi et quotquot ex aliis superstites erant capti in custodiam traditi sunt. Numerus utrimque occisorum ad quinquaginta milia aestimatur: 2) Orosius V. 21 octaginta milia habet.

Marcium, Carrinatem et Damasippum in fuga captos iugulari iussit, quorum capita ad Lucretium missa sunt, ut circa Praenestis moenia gestarentur.

Captivos autem supra octo milia 3)? quorum magna pars Samnites, in villam publicam in Campo Martio ingredi iussit, tamquam eos milites conscripturus. 4) Deinde omnes crudeliter trucidavit. In numero eorum definiendo nimis discrepant auctores. Secundum Appianum, quocum fere consentit Livius Ep. 88, supra octo milia fuerunt: alii alium numerum ponunt. Auctor noster sex, Orosius l. l. undecim, Eutropius (V. 8. 5.) duodecim milia habet, Strabo (V) ad tria

---

1) Vell. Pat. II. 27.

2) App. l. l.

3) App. l. l.

4) Dio Cass. Fragm. Peir. 175.

vel quatuor, Augustinus de Civ. Dei (III. 28) septem milia, cui suffragatur Sen. de Clem. 12. „Quis, inquam, tyrannus „tam avide humanum sanguinem bibit quam ille qui septem „milia civium Romanorum contrucidari iussit." Porro Val. Max. IX. 2. 1. quatuor legiones fuisse testatur, Florus III. 2. numerum ad quatuor milia ponit, Auct. de V. I. 75. novem milia caesa fuisse affirmat. Dio Cassius Fragm. Peir. 135 tradit in eorum numero multos fuisse ex Urbe.

Postea felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honovit memoria, qui sub eius nomine (Sullanae victoriae) celebrantur. 1)

Dum autem crudelis illa caedes fit, Sulla in senatu, quem in aede Bellonae convocaverat, verba fecit. Patres, ubi clamores a tanta multitudine, quae in angusto loco iugulabatur, audivere, exterriti attonitique sunt: ipse vultu constanti et immoto eos animum advertere iussit in quae dicebat, nec curiose requirere quod agebatur foris: nonnullos improbos iussu suo castigari. Quae res vel stupidissimum docuit mutationem tyranni factam non liberationem. 2) Ita Plutarchus, qui deinde quaedam addit quae philosophum redolent: comparatione enim Marium inter et Sullam instituta, quorum alter, a prima aetate acerbus, ingenium potestate intendit, non invertit, alter ad misericordiam flexilis, ab initio fortuna moderate lata, ut facile lacrimae ei manarent, ostendit potentiam mores reddere vecordes, arrogantes et inhumanos. Utrum autem fortuna humanam indolem naturamque invertat an potius insita pravitas in potentia detegatur, hoc cum Plutarcho aliis diiudicandum relinquimus. Etiam Vell. Pat. II. 17. affirmat eius mores victoria immu-

1) Vell. II. 27. Cic. in Verr. 1. 10.

2) Ἀλλαγὴ τὸ χρῆμα τυραννίδος, οὐκ ἀπαλλαγὴ γέγονε: quod magis Sallustii quam Plut. esse videtur.

tatos esse: „Neque ad finem victoriae satis laudari, neque „post victoriam abunde vituperari potest" et loco supra laudato c. 28: „Adeo enim dissimilis fuit bellator ac victor, „ut dum vincit iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit „crudelior." 1) Fuere utique 2) qui, olim prompti ad lacrimas, sese postea crudelissimos sanguinisque avidissimos praebuerunt: in Sulla vero nullum mansuetudinis atque misericordiae vestigium inveni, neque censeo eum victorem tantum esse mutatum ab illo! Semper se virum durum et truculentum praestitit, quando nil damni ex scelere contracturus erat, sed de insita pravitate aliquid remisit, ubi ex usu erat.

Hic mihi finis Commentariorum fuisse videtur: nam quae sequuntur maximam partem eiusmodi sunt, ut a Sulla profecta esse non possint: plena enim narratiuncularum sunt, quibus ipse in invidiam adducitur. Velut crudelissima Aurelii caedes atque ea quae ad tabulas proscriptionum edendas eum induxerunt, c. 31; atrox Catilinae scelus, qui fratrem iam pridem a se ipso e medio sublatum tamquam incolumem in proscriptorum numerum referendum curavit, c. 32; caedes Lucretii Ofellae qui dictatore invito consulatum petere ausus interfectus est, item Pompeii matrimonium, qui uxorem suam repudiare iussus novis nuptiis cum Aemilia praegnanti iunctus est atque alia quae arroganter et superbe fecit, c. 33; eius matrimonium cum Valeria, in qua re auctor eum vehementer reprehendit, consuetudo eius mulierum, histrionum et aliorum, quibuscum de die potare solebat, quamvis Valeriam domi haberet. Adde denique eius morbum atque mortem c. 35.

Quem autem scriptorem Commentariis deficientibus Plutarchus adiit? Orosius, qui in rebus Romanis scribundis

---

1) Dio Cass. Fragm. Peir. 136. 1. 2.

2) Nero Robespierre.

ex Livio plenissimo ore hausit et huius historias passim in epitomen coegit, Aurelii exitum eodem modo quo auctor noster refert 1); deinde Livius 2) cum Plutarcho convenit, ubi Ofellae caedes narrantur. Si igitur divinare licet, illo scriptore, quo Commentarios suppleret, usus videtur.

Reservato capite XXXI ubi de proscriptionibus agitur, primum de iis absolvemus quae cap. XXXII de bello Praenestino auctor ordine neglecto refert: haec enim tempore priora sunt 3).

CAPUT XXXII.

Post pugnam ad portam Collinam res Praenestinae iam praecipitabantur. Ubi cives Telesini, Marcii, Carrinatis et Damasippi capita hastis praefixa viderunt et Carbonis copias fusas et dissipatas audiverunt, Italiam porro cum Urbe in Sullae potestate esse, oppidum Lucretio dediderunt. Marius interemtus est: sunt qui sua manu, sunt qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesini una obsesso et erumpente occubuisse prodiderint 4). Hoc autem maxime placet; probatur enim a Livio, Auct. de V. I. et Valerio Maximo, qui aliquantum tamen ab aliis discrepat: „Caius „Marius.... cum per cuniculum captaret evadere, septus „ab exercitu mortem sibi conscivit: in ipso cuniculo cum „sentiret se evadere minime posse cum Pontio Telesino,

1) Orosius quidem V. 20. Lollium habet, sed hoc minoris est momenti et error Plutarchi vel Orosii esse videtur. Diodorus, qui cum Orosio et Livio convenire solet, neminem nominatim indicat.

2) Epit. 89.

3) App. B. C. I. 95.

4) Liv. Ep. 88. Oros. V. 21. App. B. C. I. 94. Vell. Pat. II. 27. Val. Max. VI. 8. 2. Auct. de V. I. 68.

„fugae comite, stricto utrimque gladio concurrit: quem cum „occidisset ipse saucius impetravit a servo, ut se occideret." A Plutarcho tantummodo traditur se ipsum interemisse, cum iam iam comprehendebatur, cui etiam Appianus suffragatur l. l. *Μαρίου καταδύντος ἐς τάφρους ὑπονόμους καὶ μετὰ βραχὺ ἀνελόντος ἑαυτόν.* „Utcumque cecidit, hodieque tanta „patris imagine non obscuratus eius memoria," Vell. Pat. l. l. dixit. Ofella caput eius abscissum ad Sullam misit, a quo in medio foro pro rostris positum est; deinde consulis aetati irridens dixit eum prius remum quam gubernaculum debuisse tractare 1).

Sulla Praeneste profectus senatores Romanos, quos Lucretius aliis iam interfectis in vincula coniecerat, e medio sustulit, itemque quotquot quaestores, legati, praetores vel tribuni Marianarum partium fuerant trucidavit 2). Caeteros ad duodecim milia armis abiectis in campum progredi iussit et perpaucis, quorum opera olim usus erat, exemptis in tria agmina divisit, ita ut Romani, Samnites et Praenestini seorsim consisterent. Romanis autem per praeconium enuntiavit sese eos, quamvis mortis poena dignos, impunitos dimittere, Samnites vero omnes concidit: Romam enim tutam non esse, Samnio incolumi. In singulos Praenestinos primum causa cognita animadvertit, deinde quasi cognitioni vacare non posset, feminis cum liberis dimissis universos concidi iussit, licet per P. Cethegum spem salutis dedisset 3). Uni tantum, quocum ius hospitii habuerat, incolumitatem concessit: qui cum fortiter dixisset se numquam patriae suae carnifici de salute gratias acturum, cum caeteris sese commiscuit et cum eis occisus est 4). Ipsum oppidum, tunc

---

1) App. l. l.

2) Oros. V. 21.

3) Val. Max. IX. 2. 1.

4) Plut. de reip. ger. praec. p. 249.

temporis longe ditissimum, diripuit. Ita ad duodecim milia hominum perierunt, quorum quinque milia Praenestini fuisse videntur 1). Flebilem hunc civitatis casum Lucanus cecinit Phars. II. 193—195.

„Vidit Fortuna Colonos
„Praenestina suos cunctos simul ense recisos,
„Unius populum pereuntem tempore mortis."

Praeneste capto nonnulla oppida adhuc arma retinebant: Spoletium, Interamnium, Sulmo, quae tamen eodem hoc anno (82) in Sullae potestatem venerunt: inter alios etiam Norbani Praenestis exemplo deterriti pertinacissime resistebant. Cum tandem Aemilius Lepidus noctu proditione intromissus esset, incolae de salute desperantes vel mutuo se confecerunt vel ipsi se interemerunt: alii laqueis praefocati sunt, alii foribus clausis domos incenderunt et flammis perierunt. Simul ventus vehemens exortus ignem per totam urbem distulit, ut quidquid praedae esset futurum igni absumeretur. Καὶ οἵδε μὲν οὕτως ἐγκρατῶς ἀπέθανον 2). Tota itaque Italia sub finem anni 82 in Sullae potestate erat paucis oppidis exceptis quae postea recepta sunt.

Errat igitur Appianus 3) existimans bellum in Italia usque in tertium annum protractum esse: ἐς δὲ τριετὲς ὅμως προῆλθε κατά γε τὴν Ἰταλίαν μέχρι τὴν ἀρχὴν ἀνεδήσατο Σύλλας. Brundusium enim Sulla appulit ineunte anno 83 et sub finem anni sequentis omnes hostes vicerat, ut ne duorum quidem annorum spatium complectatur.

Pompeius Marianorum reliquias in Sicilia et in Africa sustulit; belli Sertoriani finem Sulla non vidit.

---

1) Val. M. l. l.
2) App. B. C. l. l.
3) App. B. C. I. 97.

CAPUT XXXIII.

Bello confecto Sulla Romam reversus est 1). Populo in contionem convocato multa de se magnifice, multa minaciter in inimicos locutus est: sese nemini eorum parciturum, sed extremis suppliciis persecuturum, neque eos tantum, qui praetores, quaestores, tribuni fuissent, verum etiam qui partes hostium fovissent.

Deinde in sanguine et caede versans nullum mactando modum habuit, ut tota civitas funeribus impleretur. Nec tantum in eos qui contra arma tulerant, sed in multos insontes saevitum est 2). Immo multi propter privatas inimicitias e medio sublati, Sulla auctore vel suorum gratia connivente: ita liberae per Urbem caedes, percussoribus passim vagantibus, ut quemque vel ira vel praeda sollicitabat agitabatur 3). Omnia quae Marius constituerat, irrita facta sunt 4) et eius reliquias, apud Anienem sitas, dissipari Sulla iussit.

Denique omnia erant praecipitia in republica: „Mario „olim victore nemo adhuc inveniebatur, qui bona civis „Romani aut donare auderet aut petere sustineret. Nunc „id quoque accessit, ut saevitiae causam avaritiae praeberet „et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur, et qui „fuisset locuples fieret nocens, sui quisque periculi merces „foret, nec quicquam videretur turpe quod esset quaes„tuosum" 5).

---

1) Sunt qui existiment eum dictatorem creatum tum demum Urbem ingressum esse (Momms. II 342). Hoc autem ex nullo auctore constat: immo App. B. C. I. 98 refert eum, antequam dictator crearetur, paulisper ex urbe secessisse.

2) Vell. Pat. II. 28.

3) Oros. V. 21. Aug. de Civ. Dei III. 28. Flor. III. 21. Liv. Epit. 88. App. I. 95. Dio Cass. Fragm. Peir. 76.

4) Vell. II 43.

5) Vell. II 22.

Tandem C. Metellus 1), unus ex iuventute, Sullam in senatu rogare ausus est quousque procederet, quemnam finem malorum exspectare liceret: „deprecamur enim", in„quit, „non ut parcas quos tollere statuisti, sed ut timere „desinant, quos conservare cupis." Q. Catulus adiecisse videtur 2): „Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello ar„matos, in pace inermes occidimus?" Sulla vero respondente se nondum statuisse, quos servaret, excipiens Metellus: „Quin igitur", inquit, „edis quos punire velis." Quod sese facturum promisit 3) et infamem illam tabulam proscriptionis induxit. Re cum nullo ex magistratibus communicata primum octaginta cives proscripsit, in quibus quatuor consulares erant: Carbo, Marius, Norbanus et Scipio: inter eosdem fuit Sertorius tunc maxime pertimescendus. 4) Omnibus indignatione commotis uno die intermisso alios ducentos viginti vel secundum Orosium quingentos, mox tertio non pauciores proscripsit. Adiecit pro concione se quorum meminisset in tabulas retulisse, ubi in mentem venisset, alios rursus proscripturum: Appianus l. l. numerum primum proscriptorum ad quadraginta senatores, equites mille sexcentos ponit, deinde alios in album relatos ait. Florus III. 21, quocum convenit Aug. de civ. Dei III. 28, refert ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo milia electa esse qui mori iuberentur. Si Val. Max. IX. 12. fidem habemus, quatuor milia et septingentos in tabulas publicas retulit. cf. Momms. II. 345.

Qui autem proscriptum vel receperat vel servaverat, tamquam humanitatis praemium poena mortis est proposita,

---

1) Orosius Q. Catulum habet l. l.

2) Oros. l. l.

3) Sunt qui non Metellum sed unum ex adulatoribus eius *Aufidium* hoc postremum dixisse ferant. Ita Plut.: Legendum: Fufidium. cf. Sall. Or. Lep. vel Furfidium cum Oros. et Flor. l. l.

4) Oros. l. l. Vell. II. 28.

nec fratre, nec filio, nec parentibus exceptis: percussoribus vero caedis merces duo talenta dicta est, etiamsi servus dominum, etiamsi filius patrem interemisset. Quod omnium iniquissimum visum est, etiam proscriptorum filios et nepotes infamia notavit et eorum, qui proscripti et qui in adversariorum praesidiis occisi erant. „Adiectum" ut ait Vell. l. l. „ut bona eorum venirent exclusique paternis opibus „liberi etiam petendorum honorum iure probiberentur simul„que, quod indignissimum est, senatorum filii et onera ordinis „sustinerent et iura perderent." 1)

Lege de proscriptione quae in ann. sequentem (81) incidit erat statutum, quam ad diem proscriptiones venditionesque fierent, nimirum ad Kal. Iunias 2).

Quantus autem terror omnes invaserit, incredibile narratu est 3). Accederes ad tabulam, pro curioso periclitareris: non accederes, pro indignante; quaereres quid scriptum esset, pro te aut tuis conscientia sollicitus videreris; adstares tacitus, odiis latronum obicerere, tamquam tristi silentio praesentia damnans. Nam et multi quod vel subriserant ad talia vel frontem contraxerant, caedebantur. Neque aut amici casu ingemiscere aut adversarii exilio laetari impune erat. Praeterea multis perniciosus cognominum error erat; quae percussores, ubi proscriptos non nossent, aliis adfingebant oriebaturque saepe imponentium cognomina et reicientium vehemens contentio. Adversus mulieres quoque Sulla gladios distrinxit, quasi parum caedibus virorum satiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est: „abscissa „miserorum capita, modo non vultum ac spiritum retinentium

---

1) Hanc infamiam Caesar demum abolevit. Plut. Caes. 34.

2) Cic. pro Rosc. Amer. c. 43. Vell. l. l. Cic. de leg. agr. III. 2. 8. 6. 12. Verr. I. 47. Quintil. Inst. Orat. XI. 1. 85.

3) Dio Cass. Fragm. Peir. 137. 3. Freinsh. Ep. 88.

„in conspectum suum afferri voluit, ut oculis illa, quae ore nefas erat, manderet" 1).

Omnia porro divina et humana violata: templa Deorum sanguine polluta, penates hospitales, domus paterna; in gremiis coniugum viri, in sinu matrum liberi iugulabantur. Quanta vero in his crudelitatis et immanitatis exempla edita sunt! „Quendam enim sine ferro laniantium manus diripue„rant; immanius homines hominem vivum, quam bestiae „solent discerpere cadaver abiectum. Alius oculis effossis „et particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu „mori coactus est" 2).

Erat numerus eorum, qui per iram et odium tollebantur exiguus prae multitudine bonorum causa pereuntium: „ἔσφαζον δὲ καὶ ὅσους πλουτοῦντας ἢ καὶ ἄλλως παρύπερέχοντας ἑώρων, τοὺς μὲν φθόνῳ τοὺς δὲ διὰ χρήματα 3). Immo percussores dicebant: hunc aedes amplae sustulerunt, illum horti, alium aquae calidae. Q. Aurelius, vir quietus, cum in forum venisset, in proscriptorum tabula nomen suum reperit: „Heu me miserum!" inquit „fundus Albanus me „persequitur". Et paulum progressus a quodam qui eum sequebatur interemtus est.

Summa occisorum centum vel centum quinquaginta milia fuisse videtur, inter quos mille sexcenti equites 4).

Tunc temporis etiam L. Catilina indignissimum facinus admisit: cum fratrem iam antea e medio sustulisset, Sullam rogavit, ut tamquam incolumem in proscriptorum numerum referret et proscriptus est! Cuius rei Sullae hanc retulit gratiam: Marcum Marium Gratidianum ex adversis partibus

---

1) Val. Max. IX. 2.

2) Aug. de Civ. Dei III. 28.

3) Dio Cass. l. l. Val. Max. l. l.

4) App. B. C. I. 95 et 103. Oros. V. 22. Eutr. V. 9. Val. Max. IX. 2. 1. Flor. III. 21 et 25. Aug. de Civ. Dei III. 28.

inspectante populo Romano vitibus per totam urbem cecidit, ad Catuli sepulcrum egit et ibi cruribus brachiisque fractis, auribus praesectis et effossis oculis necavit, ut per singula membra moreretur 1). Cum autem ad hoc immane spectaculum M. Plaetorius senator exanimis cecidisset, illico mactatus est. Marii caput Sullae in foro sedenti attulit, deinde ad Apollinis lavacrum accessit, ut manus ablueret: idem Gallorum manui praefuit, quorum opera Sulla ad equites Romanos occidendos usus est 2): sic et Q. Caecilium, sororis suae virum, nullarum partium, cum semper natura, tum etiam aetate iam quietum, suis manibus confodit.

Proscribebantur autem non tantum Romae, sed tota Italia caede repleta est. Πολλὴ δὲ καὶ τῶν Ἰταλιωτῶν ἀναίρεσίς τε καὶ ἐξέλασις καὶ δήμευσις ἦν 3). Ut improbissimo cuique occasio daretur avaritiae atque odio indulgendi privatasque iniurias persequendi vel ex Cicerone pro Cluentio (c. 7 et 8) patet. Oppianicus quidam ex municipio Larino avunculum suum M. Aurium hereditatis causa tollendum interficiendumque curaverat. Qui cum ne deferretur timeret, Larino profugit et in Q. Metelli castra se contulit; mox vero cum armatis reversus quatuorviros, quos municipes fecerant, sustulit et se a Sulla et tres praeterea factos esse dixit: ab eodem sibi esse imperatum, ut A. Aurium qui sibi delationem criminis et capitis periculum ostentarat et alios quos timebat tamquam proscriptos interficeret.

Sullae duces singulas civitates obibant 4) et severae passim quaestiones habebantur, si quis cum Mario vel Carbone fuisset vel eorum partes consilio adiuvisset. Ut singulorum

1) Flor. l. l.

2) Cic. de pet. cons. 3.

3) App. B. C. I. 95.

4) Ibid.

crimina, ita totae civitates multabantur: aliarum arces et moenia diruta, aliae pecuniis et exactionibus gravissimis vexatae sunt. Immo etiam subhastatae sunt tamquam villae quaedam nobiles civitates 1): „Positis singulorum hominum „fere poenis municipia Italiae splendidissima sub hasta „venierunt, Spoletum, Interamnium, Praeneste, Faventia" 2). Imprimis vero in nomen Samnitium saevitum est, qui populus a stirpe exstinctus: milites a Sulla missi non ante fines eorum vexare destiterunt quam omnes Samnites vel ferro sublati vel ex Italia eiecti essent 3). Inde Strabo nullam ibi urbem invenit, cum incolae fusi in agris dispersique per vicos essent. Nam Venusia et Beneventum iam pridem coloniae Latinae a calamitatibus liberae manserunt. Hinc etiam deduci licet Sullam non colonias militares in Samnium misisse.

Secundum Samnites Etrusci cum Marianis partibus maxime faverant, tum optimatibus acerrime restiterant. Quam ob rem Sulla eis urbes et agros ademit, ut militibus daret: veteres incolae se partim rapinis dederunt, caeteri in novas res intenti necessitati parebant. Non est igitur, quod miremur eam regionem postea Catilinae coniurationis sedem fuisse 4). Qui in colonias missi sunt centum viginti milia numero fuisse videntur 5).

CAPUT XXXIII.

Sulla non solum eis caedibus et crudelitatibus, verum etiam alia re animos hominum sibi alienavit. Cum Carbone in Sicilia, Mario Praeneste interemtis consules nulli

---

1) Aug. de Civ. Dei l. l.
2) Flor. III. 28.
3) Strabo V. 8. p. 404.
4) Sall. Cat. 28. Cic. in Cat. II. 9. 20. pro Mar. 24.
5) App. B. C. I. 104 Liv. Ep. 96. 89.

essent, paulisper ex Urbe secessit et senatum monuit, ut more maiorum interrex crearetur. Patres sperantes id comitiorum causa fieri Valerium Flaccum prodiderunt. Ad hunc autem scripsit, ut referret ad populum videri sibi Dictatorem creandum esse non ad certum tempus, sed dum res urbanae et Italicae ordinatae essent. Hanc rogationem ad ipsum Sullam spectare, nemo non intellegebat: immo in infima epistola addidit sese sibi maxime idoneum videri, qui hac in re bene de republica mereri posset. 1) Libertatis umbram amplexi Romani inviti dictaturam perpetuam ei deferunt perferendis legibus et constituendae reipublicae (82), cuius honoris usurpatio per annos centum viginti intermissa, cum 2) anno postquam Hannibal Italia excesserat, proximus creatus esset. Fuit autem Caius Servilius, qui anno 202 M. Serv. Gemino, Cl. Nerone coss. comitiorum habendorum causa dictator dictus est 3). Tunc vero ad vindicandam maximis periculis rempublicam Romani ea utebantur, Sulla in immodicam crudelitatis licentiam abusus est 4). Ex lege Valeria, qua dictator creatus est- nulla enim re inducimur, ut cum Orelli et Baiter Onom. Tull. II. 290 plures leges Valerias accipiamus — potestas quam maxima ei tributa est: *'Εψηφίσθη δ'αὐτῷ πάντων ἄδεια τῶν γεγονότων* statutumque est, ut quaecumque fecisset essent rata: quod App. B. C. I. 95 ita expressit: *οἱ ('Ρωμαῖοι) καὶ πάντα ὅσα διῴκησεν ὁ Σύλλας ὑπατεύων τε καὶ ἀνθυπατεύων βεβαια καὶ ἀνεύθυνα ἐψηφίζοντο εἶναι.* Quam legem Cicero 5) iniquissimam omnium legum dissimillimamque legis esse arbitrabatur. Deinde ei data est *ἐξουσία θανάτου* „ut quem vellet civium indicta

---

1) App. B. C. I. 98.
2) Vell. II. 29.
3) Liv. 30. 39.
4) Vell. l. l.
5) Cic. De leg. agr. III. 25.

„causa impune posset occidere" 1). Tandem decretum est, ut ius bonorum publicationis haberet, ut ei colonias deducere liceret, urbes condere et evertere, regna eripere et donare cui vellet 2). „Unus", ait Cicero 3) „unus adhuc „fuit post Romam conditam (dii immortales faxint, ne sit al„ter) cui res publica totam se traderet, temporibus et mor„bis coacta domesticis, L. Sulla. Hic tantum potuit, ut nemo „illo invito nec bona, patriam, nec vitam retinere posset: „tantum animi habuit ad audaciam ut dicere in contione „non dubitaret, bona civium Romanorum cum venderet, se „praedam suam vendere."

In Urbem rediens cum fascibus viginti quatuor processit 4) quod nemo umquam fecerat: quae nova species procedentis omnia ad voluntatem et nutum unius fieri Romanis indicabat. Magistrum equitum L. Valerium Flaccum dixit

Quam crudeliter regnaverit, Plutarchus nos docet. Sedens pro rostris in bonis publicatis vendendis superbe et tyrannice se gessit, ut eius dona magis quam ereptiones animos hominum offenderent, quippe qui venustis mulieribus, lyricinibus, histrionibus et libertinis pessimis et abiectis gentium agros et civitates daret, nonnullis nuptias componeret, invitis mulieribus. Sic Pompeius, quem sibi conglutinare vellet propinquitate, uxorem Antistiam 5) dimittere et Aemiliam praegnantem, Scauri et Metellae 6) filiam, M. Glabrioni ereptam, ducere iubetur. Ut in rebus privatis omnibus voluntatem suam imposuit, ita in iis quae ad rem-

---

1) Cic. de leg. I. 45.

2) Vell. II. 28. Oros. V. 21.

3) Cicero in Verrem III. 35. 81.

4) App. B. C. I. 100.

5) Plut. Pomp. c. 9.

6) Metellam Sulla in matrimonio habebat: erat igitur Aemilia Sullae privigna.

publicam pertinent acerbissimam exercuit tyranniden: sibi vero resistere ausos e medio sustulit. Cum Lucretius Ofella, qui Marium expugnaverat, consulatum peteret, primum vetuit: ubi ille nihilominus multis faventibus in forum descendit, unum ex centurionibus quos secum habebat, interfectum misit, dum ipse, in Castoris aede pro tribunali sedens, ex edito caedem spectat. Cum quidam centurionem arreptum ad tribunal eius statuissent; tumultuantes silere iussit dicens se rem mandasse centurionemque dimitti imperavit 1). Συναγαγὼν τὸ πλῆθος ἐς ἐκκλησίαν εἶπεν: Ἴστε μὲν ὦ ἄνδρες καὶ παρ' ἐμοῦ δὲ ἀκούσατε ὅτι Λουκρήτιον ἐγὼ κατέκανον ἀπειθοῦντά μοι. Deinde addidit hanc fabulam: Rusticum a pediculis morsum cum semel iterumque interulam purgasset, tandem ne saepius intermittere opus cogeretur, exutam cum ipsis pediculis in ignem iniecisse· „Et „ego", inquit, „monitos volo victos, ne tertium insanientibus „opus sit incendio"

CAPUT XXXIV.

Anno sequenti (81) Sulla triumphavit, ut Fasti Cap. indicant, per biduum a. d. IV. et III. Kal. Feb.

L. Corn. L. f. P. n. Sulla Felix Dictator A. DCLXXII
Ex Graecia, de rege Mithridate per biduum IV et III
Kal. Feb.

Triumpho, qui magnificentia et manubiarum regiarum raritate grandis quidem fuit, maiori tamen ornamento erant clarissimi viri et principes civitatis, qui coronati eius currum prosequentes eum servatorem et patrem patriae appellabant, cum eius beneficio reduces essent et liberos coniugesque reciperent.

---

1) Liv. Ep. **89.** App. B. C. I. 101

Ut ex Fastis patet, triumphavit non de civibus, sed de rege Mithridate: nam ut Graeciae et Asiae multas urbes, ita civium nullum oppidum vexit 1). Priore die transtulit in Urbem quindecim milia pondo auri, postridie argenti septem milia pondo et tredecim milia pondo auri, quae Marius filius ex Capitolinae aedis incendio ceterisque omnibus delubris Praeneste detulerat 2).

Transacto triumpho rerum a se gestarum rationem pro contione reddidit et non minus diligenter enarravit quae feliciter quam quae fortiter fecisset: postremo iussit hanc ob causam se felicem nominari 3), quocum cognomine ei pro rostris statua equestris aurata posita est. Inde filium e Metella natum Faustum, filiam Faustam appellavit. Graecis vero scribens et cum his agens se Veneris gratiosum ('Επαφρόδιτον) appellabat et apud Graecos huiusmodi nomen eius in statuis inscriptum erat: ΛΕΥΚΙΟΣ ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ΣΥΛΛΑΣ ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΣ. Ex Appiano colligi potest utrumque cognomen ei ex Senatusconsulto inditum esse 4); auctor de V. I. c. 23 ait: Mario Praeneste interfecto, Felicem se edicto appellavit 5).

Eodem anno (81) reipublicae statum novis legibus confirmavit, quibus optimatibus rempublicam tradidit. Apud auctorem vero nostrum altum de ea re silentium.

Consules tunc erant M. Tullius, Cornelius Dolabella; nam quamvis vere rex esset omnibus prae terrore silentibus, populo permiserat consules creare ut pristina reipublicae forma manere videretur. Ipse quidem frequenti satellitio stipatus, viginti quatuor securibus, ut olim regibus, praelatis

---

1) Val. Max. II. 8. 7.
2) Plin. H. N. XXXIII. 5.
3) Vell. II. 27. App. B. C. I. 97.
4) App. l. l.
5) Vell. l. l.

consulibus praeerat (ἐπὶ τοῖς ὑπάτοις ἦν). Immo anno post (80) ad representandam aliquam reipublicae formam iterum consul fieri sustinuit, collega Metello Pio. Proximo anno (79), cum ei populus per adulationem denuo consulem designasset, ipse recusavit et postquam P. Servilium et Appium Claudium consules creavit 1) initio huius anni sponte nemine interpellante se dictatura abdicavit. Quae res prorsus inopinata accidit, certissima vero ratio mihi in hoc esse videtur: 'Αλλά μοι δοκεῖ κόρον τε πολέμων και κόρον ἀρχῆς καὶ κόρον ἄστεος λαβὼν ἐπὶ τέλει καὶ ἀγροικίας ἐρασθῆναι 2).

Incredibili superbia tumens ita cuncta divina atque humana contemptui habuit, ut ne summa quidem potestas eum amplius capere et commovere posset: deinde cum in republica gubernanda altiorem dignitatis gradum consequi non posset, quasi satiata insatiabili eius ambitione, voluptatem libidinemque reipublicae sollicitudine potiorem habuit.

Ubi pro contione dixit se, si quis vellet, rationem rerum gestarum redditurum, vitibus et securibus direptis custodiam a corpore dimisit et cum amicis in publico deambulavit, attonito populo et eum etiam tum valde timente. Deinde domum repetebat. Unus modo adulescens eum recedentem incusare et conviciis proscindere ausus est, ad quae ille solum hoc dixit: „Hic adulescens efficiet, ne quis posthac „talem magistratum deponat." 3)

Privatus porro extremum vitae tempus in praediis suis prope Cumas degit, ubi piscationibus et venationibus, nec non commentariis scribundis vacavit.

In extremo hoc capite narratur M. Aemilium Lepidum, virum Sullanae factioni adversarium, qui fuit triumviri pater, per Pompeium, Sulla repugnante consulem designatum

---

1) Oros. V. 20.

2) App. l. l.

3) App. B. C. I. 104.

esse: qui cum Pompeium victoria exsultantem videret: „Praeclaram vero rem adulescens," inquit, egisti, qui stoli„dissimum Lepidum Catulo omnium optimo priorem fecisti „consulem. At tu fac vigiles, cum adversarium tuum va„lentiorem feceris." 1) Illud profecto quasi vaticinatus est Sulla, nam cum postea huius acta rescindere conaretur Lepidus, bellum inter eum et collegam Catulum, quocum Pompeius se coniunxerat, exortum est, quod tamen Lepidi morte finitum. 2)

CAPUT XXXV.

Sulla privatus decimam patrimonii universi Herculi consecravit et splendidas epulas populo praebuit, in quibus tanta fuit affluentia, ut quotidie ingens copia cibariorum in amnem proiceretur vinumque quadraginta annis vetustius promeretur. In media festivitate, quae multorum fuit dierum, Metella in gravem morbum incidit, quo mox confecta est. A sacerdotibus vetitus eam adire libellum repudii misit et ne domus funere pollueretur spirantem adhuc alio transferri iussit. Qua in re curiose ex superstitione legem servasse fertur! Forsitan honestum illum arripuit praetextum, ut Metellam repudiaret. Legem autem sumptuariam quam ipse tulerat neglexit, cum neque in funere sumtus ullum modum haberet, neque in conviviis et coenis quas ad luctum leniendum dedit. Lege illa sumptuaria non solum conviviorum magnificentia prohibita est gulaeque modus factus et edulibus minora pretia imposita, sed etiam, 3) ut ex Plutarcho constat, funeri impensa sunt circumcisa.

---

1) Plut. Pomp. c. 15.
2) App. B. C. I. 107. Liv. Ep. 90. Flor. III. 23. Oros. V. 23.
3) Gell. II 24. Macr. Sat. II. 13.

Paucis mensibus post ludi gladiatorii edebantur, qui novo Sullae matrimonio locum dederunt. Valeria, eleganti forma mulier et illustri genere in Sullam a tergo praeteriens manum intendit et flocco ex toga eius avulso in locum suum transiit 1). Quam cum Sulla miratus adspexisset, illa: „Nihil est" inquit „quod te moveat, imperator; ego quoque cupio tan„tillum tuae felicitatis consors fieri." Sulla tintulatur: hinc oculorum mictationes, mutuae vultus conversiones et blanditiae, sponsalia denique, Valeriae fortasse non pudenda: Sulla vero non ex honesto duxit primordio, cum more adulescentis obtutu et leporibus, quibus solent foedissimi et impudentissimi excitari animi motus, sese capi passus esset.

Valeriam autem Hortensii oratoris fuisse sororem, haud facile quisquam Plutarcho crediderit. Notum enim est Romanos reipublique quidem temporibus nomen gentilicium filiabus indidisse: habuit autem Q. Hortensius orator patrem L. Hortensium, ut ex Cic. Verr. III, 16 constat. Suspicor eam potius esse sororem M. Valerii Messalae, consulatu functi ann. 53. Hic fuit filius Hortensii sororis et de ambitu accusatus ab eo defensus est 2.) Valeria igitur non Ὀρτησίου τοῦ ῥήτορος ἀδελφή, sed ἀδελφιδῆ fuit et ita Plutarchus mihi corrigendus videtur.

CAPUT XXXVI.

Quamvis Valeriam domi haberet, tamen cum mulieribus, mimis, citharistis, histrionibus, inter quos Q. Roscius, histrio consummatissimus, vivebat a matutino inde tempore in

---

1) Val. Max. V. 93.

2) Operae pretium est animum intendere in verba ex quibus apparet Sullano tempore nondum discretis cuneis viros feminasque promiscue ludos spectasse: quod postea ab Augusto mutatum est. Suet. Oct. c. 44

lectis potans, neque dissimulabat amorem cum Metrobio lysiodo, homine obsoleto. Inde, ut Plutarchus opinatur, morbum aluit, quo mox sublatus est, phthiriasim, quem foedissimum morbum deinde describit. Alios quoque nominatim indicat qui eodem modo decessisse dicuntur. Sed Plutarchus hic nulla fide dignus est : nam quos nominat vel ad aetatem fabulosam pertinent velut Acastus, Peliae filius, vel de vita eorum nil aut parum constat ut Alcmanis, poetae lyrici et Mucii cuiusdam iurisconsulti vel de eorum exitu alii alia tradiderunt, Pherecydem philosophum dico et Callisthenem. Aristotelis discipulum et Alexandri Magni comitem, vel nemo praeter auctorem nostrum qui nimis temere eiusmodi narratiunculis fidem habet, quidquam de ea re memoriae prodidit. Quis igitur eius λέγεται crediderit? Etiam Sullae pedicularem morbum ad fabulosa illa referendum esse censeo 1), quae, cum iam inimici ore diu obturato, in dictatorem mortuum omnem iram evomere auderent, in vulgus pervagata eo magis credulas aures invenerunt, quia usque ad extremam aetatem turpem et obscoenam vitam perduxit 2).

Quid enim? Neglecto quod inter medicos constare videtur, hunc morbum revera numquam exstitisse, 3) ob alias rationes res est reicienda. Nullus enim scriptor, Sullae aequalis eam memoravit et imprimis est, quod miremur Ciceronem silentium obtinere. Deinde quis credat virum illum qui teste Plutarcho usque ad mortem publicis negotiis interfuerit, qui biduo ante quam decessit commentariis scribundis in-

---

1) Zachariä L. C. Sulla genannt der Glückliche als Ordner des Röm. Freistaates dargestelt I. p. 162.

2) Caeteri scriptores, Diogenes Laertius, Aur. Victor. Suidas, Photius, Q. Serenus Samonicus Plut. auctoritatem secuti videntur.

3) Momms. Röm. Gesch. II 382. Ein Blutsturz raffte ihn hinweg, nicht die Phthiriasis . . . aus dem einfachen Grunde, dass eine solche Krankheit nur in der Phantasie existirt.

tenderit animum, qui decem diebus ante Puteolanis, dissensione laborantibus, leges scripserit, tali turpi morbo, qui hominem ad omnia reddit inhabilem, mortuum esse? Plinius porro H. N. VII. 44 nullius est auctoritatis, qui hoc sibi arripuit, quia ex tali morbo supplicium Deorum sibi cognoscere videtur, ostendens felicis illius exitum omnium ab illo proscriptorum longe fuisse crudeliorem.

CAPUT XXXVII.

Eius mortem Plutarchus ita refert: Sulla non tantum fatum suum praevidit, verum etiam de eo aliquatenus scripsit. Biduo antequam decessit, vicesimum secundum commentarium absolvit, in quo Chaldaeos sibi praedixisse ait, ubi praeclare vixisset in flore felicitatis sese obiturum esse. Narrat etiam somnium praeterita nocte sibi oblatum, per quod filiolum 1) suum, paulo ante Metellam mortuum, videre visus esset, appellantem se iubentumque curis omissis ire secum ad matrem, quacum in quiete et otio vitam degeret. Ut decem diebus ante exitum Puteolanis dissensione composita leges scripsit, secundum quas rempublicam temperarent; ita pridie audito Granium non exsolvere quod debebat mortemque suam exspectare, hominem in cubiculum arcessivit et strangulari iussit. Clamore et corporis iactatione vomica rupta magnam vim sanguinis effudit unde viribus defectus, nocte inter cruciatus exacta animam efflavit 2). (78) Ita Plutarchus.

---

1) Hic alter fuit filius, quem Sulla e Metella habuit, Faustus enim patri superstes fuit. cf. Plut. Pomp. 42 Luc. 4. App. B. C. 106. Comp. Ages. et Pomp. I.

2) Secundum App. in agro decumano obiit. (I. 104). Auct. de V. I. refert eum republica ordinata Puteolos concessisse c. 75.

Rectissime rem tradere videtur Val. Max. IX. 3. 8. qui caeterum non longe ab auctore nostro discrepat: „Puteolis ... „ardens indignatione quod Granius, princeps eius coloniae, „pecuniam a decurionibus ad refectionem Capitolii 1) promissam cunctantius daret, animi concitatione nimia atque immo„derato vocis impetu convulso pectore spiritum cruore ac „minis mistum evomuit."

Appianus contra tradit eum per somnium sibi visum esse a fato iam appellari: mox ut illuxit, narrato amicis suis somnio testamenti tabulas scribere coepit eodemque die confecit. Quibus obsignatis sub vesperum febri correptus ea nocte e vita excessit.

Liberos reliquit duos e Metella infantes nempe Faustum et Faustam: Valeria post exitum eius filiolam edidit cui nomen Postuma datum.

CAPUT XXXVIII.

Eius mors statim dissensionem movit. Cum enim alii censerent corpus funebri pompa per Italiam deducendum esse et Romae in foro exponendum, M. Aemilius Lepidus Sullanae factioni adversarius multique alii omnes nervos contendebant, ut corpus iustis exsequiis privaretur. Alter autem consul Catulus et Pompeius, quamvis offensus cum ex amicis unus in Sullae testamento 2) praeteritus esset, partim precibus, partim minis obstantes submoverunt exsequiisque securitatem pariter ac decus praestiterunt 3).

Corpus defuncti, aureo lecto impositum in Urbem defertur regio prorsus fastu: tibicinum caterva equitesque et magna

---

1) Vehementer cupiebat Capitolium dedicare: hoc tamen felicitati suae defuisse ipse moriens confessus est. Tac. III. 72. Plin. H. N. VII. 44.

2) Plut. Pomp. 15.

3) App. B. C. I. 105.

armatorum multitudo sequebatur: qui sub eius auspiciis stipendia meruerant undique ad funus celebrandum cum armis confluebant et ut quisque advenerat, locum suum capiebant; alia quoque multitudo undique confluxerat. Praeferebantur secures et cetera insignia, quibus usus fuerat. Plurimum vero splendoris pompae accessit, ubi ad urbem perventum est. Funus solemni pompa deducebant sacerdotes, Vestales, magistratus omnes cum suis quisque insignibus, senatus universus, equites et legiones omnes, quotquot sub eo militaverant. Coronae aureae, donaria civitatum vel legionum vel amicorum, plus quam decem milia praeferebantur 1.) Mulieres tam incredibilem aromatum copiam apportarunt, ut fercula complerent ducenta decem integra, porro tum ipsius Sullae iusta magnitudine simulacrum, tum lictoris ex pretiosissimo ture et ex cinnamo fictum erat. Cadavere ante rostro posito oratio funebris habita est. Inde nonnulli senatores sublatam in humeros lecticam in Campum Martium transtulerunt, ubi cremaretur. Quod factum est sub nonam tantum diei horam, cum a prima luce coelo nubibus obvoluto pluviam usque exspectarent. Ventorum afflabat satis magna vis, quae ingentem ignis excitavit flammam: vixdum autem crematum erat corpus pyraeque exstinctus ignis cum larga pluviae copia decidit, quae ad multam noctem duravit, ut populus diceret, fortunam illam fautricem ne mortuum quidem Sullam deseruisse. 2)

Primus ex patriciis Corneliis cremari voluit, veritus talionem, eruto C. Marii cadavere 3). Sepulcrum in Campo Martio exstruebatur, cuius inscriptio, quam ipse sibi vivus composuisse dicitur, hanc fere expressit sententiam, sese nec

---

1) App. l. l.
2) Plut. de Rom. fort. p. 318.
3) Plin. H. N. VII. 54. Cic. de leg. 11. 22.

ab amicis affectum esse ita beneficiis, nec iniuriis ita ab inimicis, ut non utrisque quasi maiore etiam mensura reddidisse videretur. 1)

Mox vero novi tumultus civitati iniecti. Nam ex illius rogi flammis faces belli civilis iterum sunt inflammatae et protinus cuncta mista, donec populus Romanus calamitatibus fractus voluntati unius se commisit.

---

1) App. l. l. Plut. Luc. 3. 4.

CORRIGENDUM.

Pag. 92 pro XXXIII leg. XXXI.

THESES.

I.

Plut. Vit. Sull. ed. Sintenis. c. 3. δι' ἐκείνου μάλιστα βουλόμενος τὴν σύλληψιν...... γενέσθαι ἢ δι' αὑτοῦ. Aut expungendum ἢ δι' αὑτοῦ aut pro μάλιστα legendum μᾶλλον.

II.

Ibid. c. 7. ὡς δῆλον εἶναι τοῖς πεφροντικόσι τὰ τοιαῦτα καὶ μεμαθηκόσιν ε ὐ θ ύ ς. Legat. ὀ ρ θ ῶ ς.

III.

Ibid. in fine: Τὸ μὲν ἐκβαλὼν μέρος αὑτοῦ κατέλιπε, τὸ δὲ ἔχων ἀ π ῆ λ θ ε ν. Leg. ἀ π έ π τ η pro ἀπῆλθεν.

IV.

Ibid. c. 11. Λέγεται δὲ...... ἄλλα τε πολλὰ Μιθριδάτη ἐπισκῆψαι δαιμόνια. Leg. ἐνσκῆψαι.

V.

Ibid. c. 12. Ἐπιλειπούσης δὲ τῆς ὕλης...... καὶ τήν τε Ἀκαδημίαν ἔκειρε δενδροφορωτάτην προαστείων οὖσαν. Leg. ἐπιλιπούσης et inseratur τῶν ante προαστείων.

VI.

Ibid. Οἱ δὲ τότε στρατηγοὶ...... μᾶλλον ἐπ' ἀλλήλους δεόμενοι τῶν ὅπλων ἢ τοὺς πολεμίους ἠναγκάζοντο δημαγωγεῖν. Leg. ἢ ἐπὶ τοὺς πολεμίους.

VII.

Ibid. c. 14. θεασάμενος τὸν τόπον ἁλώσιμον. Leg. ἁλώσιμον ὄντα.

VIII.

Ibid. c. 18. ὁ Σύλλας ταρασσομένοις ἐπαγαγών. Leg. τοῖς ταρασσομένοις ἐπελθών.

IX.

Ibid. c. 19. ὥστε...... ἐπιστήσαντα τὸν Σύλλαν διαπορεῖν. Leg. ἐπιστάντα.

X.

Ibid. c. 20. Γενομένῳ δὲ αὐτῷ περὶ πόλιν Μελίτειαν. Eiciendum πόλιν: idem mendum cap. 27 εἰς Καπύην πόλιν eximendum.

XI.

Ibid. c. 22. ὅπως ἄπεισιν ἀτελὲς λιπὼν τοσοῦτον ἔργον [τὸν Μιθριδατικὸν πόλεμον] ἐπινοοῦντι. Eiciantur uncinis inclusa.

XII.

Ibid. c. 23. διαπράξασθαι γὰρ ἐφ᾽ οἷς βούλεται τὴν εἰρήνην. Leg. διαπράξεσθαι.

XIII.

Ibid. c. 31. ποῖ προσελθόντος αὐτοῦ δεῖ πεπαῦσθαι τὰ γενόμενα προσδοκᾶν; Leg. πεπαύσεσθαι.

XIV.

Ibid. c. 35. Μεσσάλλα γὰρ ἦν θυγάτηρ, Ὁρτησίου δὲ τοῦ ῥήτορος ἀ δ ε λ φ ή, Οὐαλλερία δὲ τοὔνομα. Legerim ἀ δ ε λ φ ι δ ῆ.

XV.

Vit. Caes. c. 11. Ἐγὼ μὲν ἐβουλόμην παρὰ τούτοις εἶναι μᾶλλον πρῶτος, κ. τ. λ. Leg. ἐβουλόμην ἄ ν.

XVI.

Sophocl. Antig. 510:

σὺ δ' οὐκ ἐπαιδεῖ, τῶνδε χωρὶς εἰ φρονεῖς;

Pro τ ῶ ν δ ε legerim τ ο ῦ δ ε.

XVII.

Herod. VII. 9. § 8. Ὡς μὲν ἐγὼ δοκέω οὐκ ἐς τοῦτο θράσεος ἀ ν ή κ ε ι τὰ Ἑλλήνων πρήγματα. Leg. ἀ ν ή ξ ε ι.

XVIII.

Xen. Anab. I. 2. 21. Καὶ ὅτι τριήρεις ἤκουε περιπλεούσας Leg. Καὶ τριήρεις ἤκουσε.

XIX.

Cicero. Verr. V. 2. „Num tibi illius victoriae gloriam cum M. Crasso aut Cn. Pompeio communicatam putas? *Non* arbitror hoc etiam tuae deesse impudentiae, ut quicquam eiusmodi dicere audeas." Pro *non* legendum *nam*.

XX.

Cic. de amicit. c. 21. „Est etiam quasi quaedam *calamitas* in amicitiis dimittendis necessaria." Leg. *calliditas*.

XXI.

In Somn. Scipionis c. II. 3. Cicero scripsisse videtur: „Quaeso, „inquit, ne me e somno excitetis et perturbetis."

XXII.

Lucret. I. 280.

Nec ratione *fluunt* alia stragemque propagant.

Leg.: *furunt*.

XXIII.

Q. Curt. Ruf. Lib. IV. c. 13. „Credisne me prius somnum capere potuisse, quam *exonerarem* animum sollicitudine, quae quietem morabatur." Leg. *exonerassem*.

XXIV.

Corn. Nepos. Phocion cap. 3. „Neque ita multo post Nicanor Piraeo est potitus. Ad quem recuperandum cum populus armatus concurrisset, ille non modo neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem praeesse voluit· [sine quo Athenae omnino esse non possunt]". Eiciantur uncinis inclusa.

XXV.

Perperam nonnulli Carmen VII. Libr. I. Horat. in duas dissecari partes voluerunt.

XXVI.

Omnes fere historici nimis inique de P. Sulpicio tribuno plebis iudicant.



